ical

TRACTATUS

DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

ET COMPENDIUM HERMENEUTICAE BIBLICAE CATHOLICAE

EDITIO ALTERA

AUCTORE

P. HILDEBRANDO HOEPFL, O. S. B.

LECTORE EXEGESEOS IN COLLEGIO S. ANSELMI

DE URBE

ALMA COLLEGE
220.15
LIBRARY
H672
Alma, California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

MCMXXIX

ROMAE IN AEDIBUS BIBLIOTECA D'ARTE EDITRICE

PALAZZO RICCI - PIAZZA RICCI

3259

IMPRIMATUR

Albertus Schmitt O. S. B.

Abbas monasterii Grissoviensis

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

Copyright 1929 Biblioteca d' Arte Editrice - Printed in Italy

Ex Schola Typographica « Pio X » - Via Etruschi, 7-9 - Romae

PRAEFATIO

IN PRIMAM EDITIONEM

Tractatus de inspiratione divina sacrorum Librorum per se pertinet ad theologiam fundamentalem, in qua inter alia agitur de fontibus divinae revelationis. Sed quia in multis seminariis ecclesiasticis doctrina de inspiratione format partem introductionis generalis in sacram Scripturam, rogatus a pluribus lectoribus sacrarum Litterarum, in praesenti opusculo compendiose tractavi quaestiones de natura, extensione et effectibus divinae inspirationis secundum principia Doctoris Angelici, quem in re theologica ducem sequi debemus. Tractatui de inspiratione additum est compendium hermeneuticae biblicae; nam quae in hermeneutica biblica traduntur de diversis sensibus s. Scripturae et de principiis interpretationis catholicae, fluunt ex veritate libros sacros Spiritu Sancto inspirante fuisse conscriptos. Ne moles libri nimis augeatur, solam hermeneuticam catholicam proposui et a tractandis systematibus interpretationis Iudaeorum et Protestantium abstinui.

Scribebam Romae in Collegio S. Anselmi die festo S. Martini 1922.

AUCTOR.

Praecipua opera catholica quae de inspiratione agunt

I. V. Bainvel, De Scriptura Sacra, Parisiis 1910.

L. Billot S. I., De inspiratione S. Scripturae, [3] Romae 1922.

I. Brucker S. I., Questions actuelles d'Ecriture Sainte, Paris 1895.

Th. Calmes, Qu'est-ce que l'Ecriture Sainte? [2] Paris 1901.

¿Qué es la Sagrada Escritura? [2] (vertit *Antonio M. de Barcelona*), Barcelona 1919.

A. Cellini, Propaedeutica biblica II, Ripaetransonis 1909.

C. Chauvin, L'inspiration des divines Ecritures, Paris 1896.

Cornely-Hagen, Introductionis Compendium, [8] Parisiis 1914, 680-695.

G. I. Crets O. Praem., De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica, Lovanii 1886.

C. Crosta, L'ispirazione agiografica, Montefalco 1907.

P. Dausch, Die Schriftinspiration. Eine biblisch-geschichtliche Studie, Freiburg 1891.

A. I. Delattre S. I., Autour de la question biblique, Liège 1904; Le critérium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique, ib. 1907.

L. De San S. I., Tractatus de divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903.

Aem. Dorsch S. I., De inspiratione S. Scripturae tractatus dogmaticus, Oeniponte 1912; 1926 [2].

A. Durand S. I., Inspiration de la Bible, Dictionnaire apologétique de la Foi catholique II 894-917.

R. Fei O. Pr., De Evangeliorum inspiratione, Paris 1906.

L. Fonck S. I., Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905.

E. Ford O. S. B., On inspiration. The Downside Review XL (1922) 78-88.

I. B. Franzelin S. I., De divina Traditione et Scriptura [4], Romae 1896, 292-368.

F. E. Gigot, General Introduction to the Holy Scripture, New York 1900.

I. B. Glaire, Introduction historique et critique I[3], Paris 1862, 5-41.

O. P. Grannan, A general introduction to the Bible III.

K. Holzhey, Die Inspiration der heil. Schrift in der Anschauung des Mittelalters, München 1895.

L. Hugo, Katholische Exegese unter falscher Flagge, Regensburg 1906.

I. Iacóme O. Pr., De natura inspirationis S. Scripturae, Divus Thomas II (1915) 308-354; III (1916) 190-221; IV (1917) 45-80, 322-346. Dissertatio de natura inspirationis S. Scripturae, 1919.

I. Kleutgen S. I., Theologie der Vorzeit [2], I Münster 1867, 48 sqq.

I. M. Lagrange O. Pr., L'inspiration des Livres saints, Revue biblique V (1896) 199-220.

F. Leitner, Die prophetische Inspiration (Bibl. Studien I 4-5) Freiburg 1896.

E. Mangenot, Inspiration, Dictionnaire de la Bible III 887-911; L'inspiration de la Sainte Ecriture, Paris 1907; Inspiration de l'Ecriture, Dictionnaire de Théologie catholique VII, 2068-2266.

C. Manzoni, Compendium Theologiae Dogmaticae I [3], Augustae Taurinorum 1914, 349-385.

I. Fr. Marchini, De divinitate sacrorum Bibliorum, Taurini 1777 (*Migne* Cursus Script. III 1-492).

A. Marchini, Inspiratio biblica contra modernistarum praesertim placita vindicata, Piemonte 1910.

L. Méchineau S. I., L'idée du livre inspiré, Bruxelles 1907.

H. Merkelbach, L'inspiration des divines Ecritures [2], Liège 1913.

A. Meyenberg, Ist die Bibel inspiriert? (Brennende Fragen III) Luzern 1907.

I. B. Nisius S. I., Die Encyclica Providentissimus Deus u. die Inspiration, Zeitschr. f. kath. Theol. XVIII (1894) 627-686.

I. Nogara, De inspiratione Sacrae Scripturae, Monza 1913.

Chr. Pesch S. I., Zur neuesten Geschichte der katholischen Inspirationslehre (Theol. Zeitfragen 3 F.) Freiburg 1902.

— Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis, Romae 1903.

— De inspiratione S. Scripturae, Friburgi 1906, nova editio 1925. — Accedit: Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione Sacrae Scripturae, ib. 1926.

S. Schiffini, S. I., Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata, Taurini 1905.

F. Schmid, De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brixinae 1885.

C. Van Den Borne O. F. M., Doctrina S. Bonaventurae de inspiratione et inerrantia S. Scripturae, Antonianum I (1926) 309-326.

H. Van Laak S. I., De S. Script. inspiratione, Romae 1910.

G. Van Noort, Tractatus de fontibus revelationis [3], Amstelodami 1920.

F. Vigouroux, Manuel biblique I [13], Paris 1913, 41-83.

I. M. Vosté O. Pr., De natura et extensione inspirationis biblicae secundum principia Angelici Doctoris (Ex opere «Xenia Thomistica»), Romae 1924.

— De Scripturarum veritate iuxta recentiora Ecclesiae documenta (Opuscula biblica Pontificii Collegii An-

gelici), ib. 1924. Inspiratio Biblica iuxta testimonia ipsius S. Scripturae et definitiones Ecclesiae, Angelicum III (1926) 33-45.

D. Zanecchia O. Pr., Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis, Romae 1898.

— Scriptor sacer sub divina inspiratione iuxta sententiam Cardinalis Franzelin, ib. 1903.

Alia opera in ipso tractatu citantur.

CAPUT I.

De exsistentia inspirationis.

Ex *ipsis libris sacris* et imprimis ex unanimi et constanti *traditione* ab ipsis primordiis in Ecclesia vigente abunde constat libros Veteris ac Novi Testamenti conscriptos esse sub peculiari influxu divino, qui vocari solet inspiratio.

1. Ex variis V. T. locis indirectum colligi potest argumentum pro inspiratione librorum veteris foederis. Saepius enim disertis verbis sermo est de *divino mandato,* quo hagiographi moventur ad scribendum; sic e. g. *Moyses* Exod. 17, 14 iubetur litteris consignare victoriam de Amalecitis reportatam; cfr. Exod. 34, 27: « scribe tibi verba haec quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus »; Deut. 31, 19: « nunc igitur scribite vobis canticum, etc. », hinc liber a *Moyse* exaratus vocatur *liber legis Domini* (Ios. 24, 26; II Reg. 22, 11; Neh. 8, 8), vel *lex Domini* (I Par. 16, 40), vel: « verba quae locutus est Dominus in manu *Moysi* » (II Par. 35, 6). Simile mandatum acceperunt prophetae, e. g. *Isaias* (8, 1; 30, 8), *Ieremias* (30, 2; 36, 2); unde *Isaias* scripta sua dicit esse *librum Domini* (34, 16). Libri V. T. appellantur *libri sancti* e. g. I Mach. 12, 9: « habentes solatio sanctos libros ». Nullibi tamen in Vetere Testamento explicite inspirationis divinae mentio fit (1).

(1) Quid Iudaei de inspiratione librorum sacrorum senserint vide apud *I. B. Frey*, La révélation d'après les conceptions juives au temps de Jésus-Christ, Revue bibl. N. S. XIII (1916) 472-510, imprimis 493-501.

2. In libris vero Novi Testamenti testimonia tum indirecta sive implicita tum directa et explicita pro divina inspiratione Scripturarum Veteris Legis inveniuntur:

a) Testimonia indirecta:

Christus et Apostoli provocant ad libros V. T. velut ad *verbum Dei* vel ad *eloquia Dei*, e. g. Mc. 7, 13: « rescindentes verbum Dei per traditionem vestram »; Rom. 3, 2: « quia credita sunt illis eloquia Dei (τὰ λόγια τοῦ θεοῦ) »; hac voce intelligi debent omnes Scripturae V. T. (1).

α) Libri V. T. dicuntur *Scripturae sanctae, sacrae litterae*, e. g. Rom. 1, 2: « in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis (ἐν γραφαῖς ἁγίαις) »; II Tim. 3, 15: « ab infantia sacras litteras (ἱερὰ γράμματα) nosti ».

β) Libri V. T. gaudent *summa auctoritate;* hinc quae scripta sunt in eis, debent adimpleri, e. g. Luc. 18, 31: « consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis »; ib. 24, 44: « necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me »; cfr. Act. 2, 16 sqq.; 3, 18, 21. Ex libris V. T. desumuntur *efficacia argumenta* pro doctrina fidei, e. g. Rom. 1, 17, 4, 3 sqq.; Gal. 3, 11 demonstratur iustificatio per fidem ex Hab. 2 4; Io. 10, 34 sqq. Christus sumit argumentum ex Ps. 81, 6: ego dixi: « Dii estis » et addit: « non potest solvi Scriptura » (οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή), i. e. auctoritas Scripturae recusari nequit.

b) Testimonia directa:

α) Libri V. T. habent *divinam auctoritatem*, quia *Deus* sive *Spiritus Sanctus loquitur in eis*, e. g. Luc. 1, 70: « sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius »; Mt. 22, 31: « de resurrectione autem mortuorum non legistis quod *dictum est a Deo dicente vobis* (cit. Exod. 3, 6) »; ibi 22, 43: « quomodo David

(1) Cfr. *Lagrange*, Epître aux Romains, Paris 1916, 62.

in spiritu (ἐν πνεύματι) vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, etc. » (Ps. 109); Act. 1, 16: « Oportet impleri Scripturam *quam praedixit Spiritus Sanctus* per os David » (Ps. 40, 10); ib. 4, 25: « qui *Spiritu Sancto per os patris nostri David dixisti* » (Ps. 2); ib. 28, 26: « bene *Spiritus Sanctus locutus est* per Isaiam prophetam ad Patres nostros dicens » (Is. 6, 9 sq.); Hebr. 3, 7: « quapropter sicut *dicit Spiritus Sanctus:* Hodie, si vocem eius audieritis » (Ps. 94, 7 sqq.); ib. 10, 15: « *contestatur* autem nos et *Spiritus Sanctus.* Postquam enim dixit, etc. » (Ier. 31, 33).

β) *Loci classici* pro inspiratione Veteris Testamenti sunt II Tim. 3, 16 et II Petr. 1, 21. S. Paulus adhortatur Timotheum, ut permaneat in eis quae didicit, utpote edoctus ab ipso Apostolo et eruditus in sacris Litteris, quae eum possint instruere ad salutem per fidem (3, 15); deinde pergit: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος (probabilius supplendum: ἐστί) καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγμὸν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Γραφή sine dubio idem significat ac *sacrae Litterae,* de quibus in praecedentibus Apostolus dicit: « ab infantia sacras litteras nosti », videlicet *Scripturas Veteris Test.* quibus Timotheus, filius matris Iudaeae, imbutus erat; haec enim vox γραφή est *terminus technicus* ad designandum testimonium divinum litteris mandatum e. g. Mc. 12, 10; 15, 28; Luc. 4, 21; 24, 27; Io. 13, 18; 17, 12; I Tim. 5, 18; Iac. 2, 23. Vox θεόπνευστος habet sensum passivum (sicut θεόδοτος, θεόπεμπτος, θεόκτιστος, etc.), = a Deo inspiratus, unde Vulgata latina optime vertit: divinitus inspirata (1).

Porro Apostolus dicit: Omnis Scriptura (πᾶσα γραφή), quod posset intelligi *distributive,* ut sit sensus: *omnes et singuli textus* sunt inspirati; potest tamen sumi etiam in *sensu collectivo,* licet desit articulus (πᾶσα ἡ γραφή), nam,

(1) Similiter *Plutarchus* de plac. phil. 5, 2 loquitur de somniis divinitus immissis (οἱ ὄνειροι οἱ θεόπνευστοι).

uti notat *Dorsch* (1), ante nomina quae unam tantum rem designant et ideo nominibus propriis aequiparantur, articulus omitti potest, hinc verti potest: Omne quod scriptum est, quidquid scriptum est, divinitus inspiratum et (propterea) utile ad doctrinam, etc., cfr. Rom. 15, 4: « quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ».

II Petr. 1, 20 sq.: Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit, i. e. prophetiae quae scriptae sunt in libris V. T. non propria operatione, scientia, coniectura prophetarum factae sunt, ita pergit Apostolus, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι = a Spiritu Sancto moti) locuti sunt sancti Dei homines (graece· ἀπὸ θεοῦ ἄνθρωποι = (a Deo homines). Patet verbum ἐλάλησαν improprie accipiendum esse de verbo scripto, nam S. Petrus commendat libros prophetarum.

Pro *inspiratione Novi Testamenti* non habetur explicitum testimonium in ipsis libris Novi Foederis; citantur tamen plura argumenta indirecta e. g. I Tim. 5, 18: « Dicit enim Scriptura: non alligabis os bovi trituranti. Et: dignus est operarius mercede sua »; S. Paulus in hoc loco allegat verbum Christi (cfr. Luc. 10, 7) tamquam Scripturam (sacram) sicut libros V. T. (Deut. 25, 4); disputatur tamen, utrum Apostolus citet Evangelium *scriptum* an *verbum Domini e traditione acceptum*. II Petr. 3, 16 epistolae S. Pauli pares habentur ceteris Scripturis, i. e. libris V. T., dicitur insuper Apostolum scripsisse secundum datam sibi sapientiam (2).

3. Inspiratio librorum N. T. potius ex *universali et*

(1) De inspiratione 147. De sensu huius textus cfr. *Vosté*, Angelicum III (1926) 34 sqq.

(2) Plura de testimoniis S. Scripturae vide apud *Scheeben*, Handbuch der Dogmatik I 110 sq.; *Heinrich*, Dogmatische Theologie I 736 sqq.; *Franzelin*, De divina Traditione et Scriptura, 293 sqq.; *Pesch*, De inspiratione, 38 sqq.

constanti traditione colligi debet (1) quae multis testimoniis inspirationem etiam V. T. affirmat. Patres unanimi voce proclamant Scripturas sacras esse oracula Dei, esse dictas a Spiritu Sancto, qui hagiographis velut instrumentis usus sit.

Sic *S. Clemens Romanus* vocat sacras Litteras eloquia Dei (c. 53: τὰ λόγια τοῦ θεοῦ), *vera effata Spiritus Sancti* (c. 45, PG 1, 300: τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος ἁγίου), citans Isaiam (53, 1-12) dicit *Spiritum Sanctum locutum esse* (c. 16, ib. 240: καθὼς τὸ πνεῦμα το ἅγιον περὶ αὐτοῦ ἐλάλησεν), cfr. c. 13 (ib. 226): dicit enim Spiritus Sanctus (cit. Ier. 9, 20, sq.).

S. Iustinus docet prophetas divino verbo motos fuisse (Apol. I, 33, PG. 6, 381: ὅτι δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ θεοφορεῖνται οἱ προφητεύοντες εἰ μὴ λόγῳ θείῳ), ipsos locutos esse *Spiritu divino* (Dial. 7, ib. 492: θείῳ πνεύματι λαλήσαντες), esse organa Spiritus Sancti.

Idem sentit *S. Theophilus Antiochenus*: hagiographi ab *ipso Deo afflati* et *edocti sunt* (ad Autol. II, 9, PG. 6, 1064: οἱ δὲ τοῦ θεοῦ ἄνθρωποι πνευματοφόροι πνεύματος ἁγίου καὶ προφῆται γενόμενοι ὑπ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ ἐμπνευσθέντες καὶ σοφισθέντες ἐγένοντο θεοδίδακτοι και ὅσιοι καὶ δίκαιοι); ipsi sunt organa Dei (ib. 1063: ὄργανα θεοῦ γενόμενοι); his viris πνευματοφόροις adnumeratur etiam S. Ioannes Evangelista (ib. II, 22, PG. 6, 1088).

Iuxta *S. Irenaeum* adv. haer. II, 28, 2 (PG. 7, 805) Scripturae perfectae sunt, quia a *Verbo Dei et Spiritu eius dictae sunt;* ib. III, 16, 1 (ib. 921) dicitur: « Praevidens Spiritus Sanctus depravatores... per Matthaeum ait: Christi autem generatio sic erat » (2). Loquens de sermo-

(1) Cfr. historiam canonis Novi Testamenti in Compendio Introductionis I² Romae 1926, 57-77.

(2) Vide *W. S. Reilly* S. S., L'inspiration de l'Ancien Testament chez Saint Irénée, Revue bibl. N. S. XIV (1917) 489-507; *I. Hoh,* Die Lehre des hl. Irenäus über das Neue Testament (Neutestl. Abhandlungen VII, 4-5), Münster 1919, 90-95.

nibus Domini intelligit non solum libros Novi Testamenti, sed etiam testimonia prophetarum veteris foederis, quia Dominus qui postea carnem assumpsit, per os prophetarum locutus est, unde sermones prophetarum sunt sermones ipsius Domini (ib. IV, 2, 3).

Tertullianus Apol. 20 vocat sacras Litteras divinas voces; cfr. *Clementem Alexandrinum* Strom. VII, 11 (PG. 9, 485 « διὰ στόματος ἀνθρωπίνου κύριος ἐνεργῶν ». prophetae sunt instrumenta divinae vocis (ὄργανα θείας φωνῆς, ib. VI 18, PG. 9, 401).

S. Cyprianus, Test. adv. Iud. praef. loquitur de divinis magisteriis quibus nos Deus per Scripturas erudire et instruere dignatus est.

Origines affirmat ab uno eodemque Spiritu Sancto Veteris ac Novi Testamenti libros inspiratos fuisse, de princ. praef. n. 4 (PG. 11, 118): « Sane quod Spiritus Sanctus unumquemque sanctorum vel Prophetarum vel Apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur » (1). Biblia a divino Spiritu scripta sunt (contra Cels. V, 60, PG. 11, 1276: τὰ βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι).

S. Cyrillus Hierosolymitanus cat. IV, 33 (PG. 33, 495): « Ista nos docent divinitus inspiratae Veteris et Novi Testamenti Scripturae (αἱ θεόπνευστοι γραφαί).

Iuxta S. *Basilium* hom. 4, in Hexaem. (PG. 29, 80) Scripturae sunt: τὰ λόγια τοῦ πνεύματος, vel adv. Eunom. II, 15 (ib. 601) μαρτύρια τοῦ πνεύματος (testimonia Spiritus).

S. Gregorius Nyssenus contra Eunom 7 (PG. 45, 744) asserit: quaecumque divina Scriptura dicit, Spiritus Sancti sunt voces (τοῦ πνεύματός εἰσι τοῦ ἁγίου φωναί). Moyses

(1) De doctrina Origenis cfr. *Redepenning*, Origenes II. Bonn 1841, 259 sq.; *A. Zöllig*, Die Inspirationslehre des Origenes (Strassburger Theol. Studien V) 1902; *F. Prat*, Origène, le théologien et l'exégète, Paris 1907, 115 sqq.

scripsit secundum divinam inspirationem (κατὰ θείαν ἐπίπνοιαν, in Hexaem. Prooem., PG. 44, 61).

S. Ioannes Chrysostomus hom. 21 in Gen. 1 (PG. 53, 175) asserit in qualibet syllaba vel apiculo sacrarum Litterarum esse magnum thesaurum, quia a Spiritu Sancto compositae sint [1] (Πνεύματι, γεγραμμέναι, τῶν θείων γραφῶν τῶν Πνεύματι ἁγίῳ συγκειμένων). S. Paulus est *os Christi* (τὸ στὸμα τοῦ χριστοῦ) de Lazaro hom. 6, n. 9. (PG. 48, 1041).

Praeclare *S. Hieronymus* tract. de Ps. 88 (Anecdota Mareds. 3, 3, 53): Domini sunt verba, et non sua (i. e. sacrorum scriptorum), et quod per os ipsorum dixit, quasi per organum Dominus locutus est [2].

Sec. *S. Ephraem* Deus in scripturis locutus est; verba quae per Spiritum Sanctum fecit scribere, plena sunt sensibus [3].

S. Ambrosius ep. 8 ad Iust n. 1 (PL. 16, 412), dicit de sacris auctoribus: « non secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae super artem est: scripserunt enim quae Spiritus iis loqui dabat ».

S. Augustinus vocat Scripturas epistolam omnipotentis Dei (sermo 2 in Ps. 90, 1), *chirographum Dei* (enarr. in Ps. 144, 17; PL. 37, 1880); *Deus loquitur per sacros auctores* (de civ. Dei XVIII, 41; PL. 41, 600); Praeclarum testimonium habetur in opere de consensu Evangelistarum I, 35, n. 54 (PL. 34, 1070): « Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit ».

[1] Vide *S. Haidacher*, Die Lehre der hl. Johannes Chrysostomus über die Schriftinspiration, Salzburg 1897.

[2] De doctrina *S. Hieronymi* cfr. *L. Schade*, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus (Bibl. Studien XV, 4-5) Freiburg 1910.

[3] Cfr. *Lamy*, Revue bibl. II (1893) 10 sq.

S. Gregorius Magnus praef. in Iob 2 n. 3 (PL. 75, 517): « Cum Spiritum Sanctum auctorem tenemus, qui scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, quam legentes litteras de calamo percontamur? *Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit* » (1).

4. *Documenta ecclesiastica*: *Statuta ecclesiastica antiqua* (attributa S. *Caesario Arelatensi* † 543), apud *Harduinum* Conciliorum collectio regia maxima I 978: « Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem ». Idem legitur in symbolo fidei a S. Leone IX (1048-1054) proposito (2).

Similiter dicitur in *formula abiurationis* anno 1208 ab *Innocentio III* Waldensibus praescripta: « Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum ».

Eadem doctrina repetitur in *Bulla Eugenii IV* « Cantate Domino » ex a. 1442: « Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris voce fundata... unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii, profitetur auctorem, *quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt* » (3).

Cui consonat decretum *Concilii Tridentini* de can. Scripturis (8 April. 1546): « Sacrosancta... Synodus... omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones

(1) Plura vide apud *Dausch*, Die Schriftinspiration 45 sqq.; *Pesch*, De inspiratione 40 sqq.; *G. Van Noort*, Tractatus de fontibus revelationis ², Amstelodami 1911, 27 sqq. De doctrina theologorum scholasticorum medii aevi cfr. *K. Holzhey*, Die Inspiration der hl. Schrift, qui recenset plus quam 80 auctores a tempore Caroli Magni usque ad Concilium Tridentinum.

(2) Epist. 101 ad Petrum Episcopum Antiochenum, cfr. PL. 143, 772, Enchiridion Biblicum, Romae 1927, 8 n. 26.

(3) Enchiridion Biblicum 10 n. 32.

ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur » (1).

Hanc ipsam doctrinam proposuit *Concilium Vaticanum* const. dogm. de fide cath. c. 2 reiiciens simul erroneas circa inspirationem sententias: « Eos (V. et N. T. libros) vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (2).

Decreto « *Lamentabili sane* » edito die 3. Iulii 1907 damnatur propositio (9.): « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem » (3); cfr. et litteras encyclicas « Pascendi Dominici gregis » die 8. Sept. 1907.

(1) De hoc decreto orta est controversia. *I. Langen*, Theol. Literaturblatt III (1868) 782 contendit dictationem Spiritus Sancti ad solas traditiones referri, non ad S. Scripturam. Iuxta constructionem grammaticalem hoc verum est, sed iuxta sensum ad utramque, Scripturam et Traditionem pertinet, nam traditiones *pari pietatis affectu* debent recipi sicut sacrae Scripturae, quia eodem modo sicut hae habent divinam originem: Deus est auctor utriusque Testamenti, quia libri veteris ac novi Foederis a Spiritu Sancto sunt dictati. Cfr. *W. Dehm*, Die Inspirationslehre des hl. Konzils von Trient, Katholik 1868, II 672-682.

(2) Enchiridion Biblicum 21, n. 62.

(3) Ibidem 67, n. 193.

CAPUT II.

De natura inspirationis.

1. Theologi quod attinet *modum procedendi* in enucleando conceptu inspirationis in duas abeunt partes. Cum e documentis ecclesiasticis luculentissime constet *Deum esse auctorem sacrarum Litterarum,* plures theologi inquirunt, quid stricte exigatur, ut quis in vero et legitimo sensu possit vocari *auctor* alicuius libri indeque statuunt elementa esesntialia divinae inspirationis (1).

Alii vero (*Lagrange, Zanecchia,* etc.) ex elucidato conceptu qui verbo « inspirare » exprimitur definiunt, quaenam sint elementa essentialia divinae inspirationis simulque determinant, qua ratione Deus sit auctor S. Scripturae.

Ex illis qui evolvunt conceptum *auctoris,* plures dicunt verbis Concilii Vaticani : « *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* », non exprimi relationem inter causam et effectum, sed meram identitatem utriusque conceptus, auctoris videlicet et inspiratoris. Quod vix admitti potest ; sine dubio verbis Concilii iuxta obvium sensum sumptis indicatur nexus causalis : Deus est *auctor* sacrorum librorum, *quia* eos inspiravit. Unde optime cl. *Billot* (2) : « Verba illa *Spi-*

(1) *Franzelin,* op. cit. 304 sqq.; *C. Mazzella,* De virtutibus infusis praelectiones [4], Romae 1894, 524 sqq.; *I. P. Van Kasteren,* Franzelin en Zanecchia. Twee verklaringen van de natuur der schriftingeving, Studien XXXIV (1902) 55-80; Nogmaals Franzelin en Zanecchia, ib. XXXVI (1903) 289-308; *Pesch,* De inspiratione S. Scripturae 307 sqq.; Supplementum 8 sq.

(2) De inspiratione [2], 30.

ritu Sancto inspirante conscripti assignant *rationem* cur libri Scripturae Deum *auctorem* habeant, id est *causam ontologicam,* ex qua fit, ut ad Deum tamquam ad proprium auctorem referantur ». Hinc alii inferunt nos a conceptu *causae* i. e. inspirationis, procedere debere ad determinandum conceptum *effectus,* i. e. auctoris; dicunt nempe terminum « *auctor* » per se vagum esse pluresque admittere significationes, cum diverso modo aliquis possit esse auctor operis, *primarius* videlicet sive *principalis,* vel *secundarius* sive *instrumentalis, physicus* vel *moralis,* atque hoc iterum multiplici modo, vel iubendo scriptionem libri, vel suggerendo scriptori argumentum etc., neque a priori patere, quisnam ex his diversis modis in casu admittendus sit.

Sed licet non constet a priori, quo sensu accipiendus sit auctor, ex *documentis tamen traditionis,* imprimis e scriptis Patrum qui docent Spiritum Sanctum libros sacros *scripsisse* vel *dictasse* et hagiographis *tamquam instrumentis usum esse,* elucet Deum esse auctorem *principalem* et *physicum* sacrarum Scripturarum, unde conceptus *auctoris,* quod attinet sacros Libros, iam non est vagus et indeterminatus. Concedi vero debet Deum esse auctorem sacrorum librorum *modo omnino exceptionali,* quo nullus homo unquam auctor fuit; qui modus exceptionalis derivatur a facto, quod Deus illos libros *inspirarit,* et sic dicendum est ex analysi conceptus inspirationis declarari oportere modum illum singularem quo Deus est auctor librorum sacrorum, ita tamen, ut enucleatio conceptus auctoris (principalis et physici) partes suas habeat in delineandis elementis essentialibus inspirationis, praecipue in excludendis falsis opinionibus de inspiratione; quaelibet enim explicatio inspirationis, qua admissa sequeretur Deum non esse in vero sensu auctorem vel tantum auctorem moralem S. Scripturae, ut falsa vel insufficiens reiici debet. Ecclesia quae dicet libros S. Scripturae, utpote Spiritu Sancto inspirante conscriptos Deum habere auctorem,

nos certiores reddit tantam inspirationi attribuendam esse extensionem, quanta requiratur ad hoc, ut vere et proprie Deus dici possit librorum S. Scripturae auctor (1).

2. Veritas huius asserti apparet ex diversis de natura inspirationis sententiis quae *per defectum* peccant.

a) Iuxta nonnullos Deus fit auctor sacrarum Litterarum per *approbationem consequentem*, quatenus librum ab homine propria industria compositum sive ipse sive per Ecclesiam ab omni errore immunem declaravit et probavit.

Huc spectat tertia ex thesibus *L. Lessii* († 1623), quas theologi Lovanienses et Duacenses a. 1586 censura dignas iudicarunt: « liber aliquis (qualis forte est secundus Machabaeorum), humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testatur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sancta » (2). Ipse Lessius posterius reprobata illa parenthesi clariùs sensum theseos proposuit asserens librum *ex instinctu Spiritus Sancti*, sed sine speciali eius assistentia ab homine pio conscriptum, si Spiritu Sanctum postea publice testetur omnia in eo contenta salutaria et vera esse effici, etsi non simpliciter, tamen quoad auctoritatem ineffabilem, Scripturam sanctam. Admittit ergo divinam humanae voluntatis motionem, quae includitur quidem in conceptu inspirationis, neque tamen per se solam inspirationem constituit.

De *merâ possibilitate* agit etiam *I. Bonfrerius* († 1642) qui ita disserit: « Consequenter se habere *posset* Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanc-

(1) Cfr. *Billot*, op. cit. 31.

(2) Cfr. *G. Schneemann*, S. I., Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus. Freiburg 1881, 357 sq., 465 sqq.

tus testaretur omnia quae in eo scripta essent, vera esse; certum est enim tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum, et eandem infallibilem veritatem habiturum quam habent cetera quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus Sancti conscripta essent » (1). Convenit cum Lessio quod putat nullum e nostris libris canonicis per subsequentem approbationem ad dignitatem Scripturae S. fuisse elevatum, sed discrepat ab eo, quatenus Lessius quandam, nec tamen sufficientem humanae voluntatis motionem addit. *B. Haneberg* (2), episcopus Spirensis († 1876), revera putavit libros puris viribus humanis exaratos e. g. libros historicos receptione in canonem factos esse verbum Dei.

Concilium vero Vaticanum in supra laudata const. dogm. de fide cath. cap. 2 hanc sententiam repudiavit hisce verbis: « Eos (i. e. Vet. ac Nov. Test. libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, *non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati* ». Et sane Patres qui auctores humanos sacrorum librorum vocabant *instrumenta Dei* (*Theophilus*, ad Autol. II 8), *linguam et calamum* Spiritus Sancti (*Hieronymus* ep. 65, 7), *manum Domini scribentem* (*August.* de consensu Evang. I, 35) de mera approbatione subsequente nihil tradunt. Praeterea liber eo quod infallibili auctoritate gaudet, nondum efficitur Scriptura sancta, secus etiam definitiones magisterii ecclesiastici, utpote infallibiles, sacra Scriptura essent. Neque eo, quod quis (e. g. episcopus) approbat librum ab alio scriptum, fit *auctor* eiusdem.

(1) Praeloquia in Script. S. c. VIII sect. 7 (*Migne*, S. Scripturae Cursus I 114), cfr. *Pesch*, op. cit. 324 sq. *Bonfrerius* non docet *inspirationem subsequentem* (esset contradictio in adiecto); cfr. *K. Wiedenmann* S. I., Stimmen aus M. Laach VI (1874) 287.

(2) Geschichte der bibl. Offenbarung[3] Regensburg 1863, 817; in quarta editione huius operis (1876) *B. Weinhart* ad mentem auctoris vita functi hanc sententiam iuxta decretum concilii Vaticani retractavit (vide p. VIII).

b) A vero deficiunt etiam illi qui inspirationem reducunt ad *merum influxum negativum* i. e. *assistentiam externam* qua Deus omne errandi periculum a sacris auctoribus avertit. Ita iuxta *Jahn* († 1816) (1) inspiratio est divina assistentia ad praecavendos errores, quam vocat inspirationem *concomitantem*. Huic opinioni praelusit *L. Ellies du Pin* (2) qui docuit inspirationem esse quandam illuminationem qua scriptor sacer in scribendo dirigatur, ne quid eorum quae scribere debeat, omittat neve falsi quid ponat (3).

Et re quidem vera haec assistentia non sufficit, ut liber possit vocari divinitus inspiratus, nam et magisterium Ecclesiae in definiendis doctrinis fidei et morum gaudet hac assistentia divina, quin definitiones eius dici queant Scripturae divinitus inspiratae. Hinc iuxta concilium Vaticanum libri s. Scripturae sunt canonici non ideo dumtaxat, *quod revelationem sine errore contineant*.

Tandem veram inspirationis notionem non attingunt illi qui actionem Dei positivam quidem admittunt, sed illam reducunt ad *causalitatem moralem* quae antecedit scriptionem libri dicentes Deum esse auctorem sacrorum librorum, quia *voluit* ut scriberentur; quam

(1) Einleitung in die göttlichen Bücher des A. Bundes I ², Wien 1803, 91: « Den göttlichen Beystand zur Verhütung der Irrthümer nennen wir Eingebung oder Inspiration, eine Benennung, die der Gebrauch gestempelt hat, ob sie gleich nicht sehr passend ist, indem sie etwas positives aussagt, indessen der unterlegte Begriff negativ ist, denn eben darin unterscheidet sich diese göttliche Verwahrung vor Irrthümern von der Offenbarung, dass sie dem Schriftsteller keine neue Aufschlüsse giebt, ihn nichts lehrt, sondern nur die Einmengung der Irrthümer in dasjenige, was er schon weiss, verhindert ». Cfr. et Introductio in libros sacros V. T. ², Vindobonae 1834, 31.

(2) Dissertation préliminaire t. I. Paris 1701 lib. I ch. 2 § 6-8. Cfr. etiam *Bonfrerium*, Praeloquia VIII sect. 3 (*Migne*, l. c. 110).

(3) *F. Girerd*, Evolution et progrès en exégèse, Annales de Philosophie chrétienne 3. S. II (1904) 621-633 asserit inspirationem sufficienter significari notione assistentiae.

ob rem elegit viros idoneos ad scribendum, quos vel praecipiendo vel interius alliciendo induxit ad litteris consignandum ea quae ipse voluit communicare hominibus quaeque auctori humano vel naturaliter nota erant vel divinitus revelata sunt.

4. Iuxta veram sententiam Deus est auctor sacrarum Scripturarum *causalitate physica*, quatenus *virtute supernaturali elevavit et applicuit facultates hagiographorum ad scribendum*.

Haec notio inspirationis fundamentum habet in traditione ecclesiastica, ut e testimoniis Patrum luce clarius patet, praesertim vero in documentis conciliaribus et in litteris encyclicis Leonis XIII « Providentissimus Deus » die 18. Novembris 1893 editis, ubi ea, quae antiquitatis traditio ad nostra usque tempora transmisit quasi compendio exponuntur: « Nam supernaturali ipse (Deus) virtute ita eos (hagiographos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae » (1). In hac declaratione omnia elementa divinae inspirationis breviter comprehenduntur:

a) *Voluntas Dei* qua *principium* inspirationis: Deus vult veritates suas hominibus scripto communicare; *b*) exsecutio divinae voluntatis quae complectitur

(1) Enchiridion Biblicum 43 n. 110. Doctrinam litterarum encyclicarum clare exponit *S. Brandi*, S. I., La questione biblica e l'enciclica « Providentissimus Deus », Roma 1895; gallice vertit *Ph. Mazoyer*, La question biblique et l'encyclique « Providentissimus Deus » Paris (sine anno); cfr. etiam *I. B. Nisius* S. I., Die Encyclica « Providentissimus Deus » u. die Inspiration, Zeitschr. f. kath. Theol. XVIII (1894) 627-686; *Selbst*, Das päpstliche Rundschreiben « Providentissimus Deus » über das Studium der hl. Schrift, D. Katholik 1894 I. 97-115; 193-212; 289-311; *I. Knabenbauer*, Leone XIII e la questione biblica, Civiltà Cattolica, 1894 I 401-415; 652-665, etc.

internam motionem voluntatis ad scribendum, *illustrationem intellectus* et *praecautionem* ab errore.

Admittendus est ergo *positivus supernaturalis influxus* (supernaturalis virtus) Dei in intellectum et voluntatem sacri auctoris. Non sufficit influxus moralis; cum hic non *eleret* facultates quas moraliter movet, proinde liber esset sola *industria humana* concinnatus, licet ex praecepto vel alia motione divina. Requiritur enim ut facultates hagiographi virtute supernaturali *elevent*ur et *moveantur*, quia Deus inspirans est *causa efficiens principalis* libri, homo vero inspiratus *causa instrumentalis*. Ita *S. Thomas* premens vestigia Patrum qui haud raro auctores sacros citharae, lyrae, tibiae, calamo in manu scribentis comparant, Quodlib. VII a. 14 ad 5: « Auctor principalis Scripturae est Spiritus Sanctus. Homo autem fuit auctor instrumentalis ». Quam doctrinam S. Thomae *Leo XIII* in laudatis litteris encyclicis suam fecit: « Quare nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam *instrumenta* ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus secundariis inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit ».

5. Notionem et indolem utriusque causae, *principalis* et *instrumentalis*, Doctor angelicus variis in locis explicat. Instrumentum agit prout *elevatur* et *applicatur* ad agendum a causa principali, cfr. IV Dist. 1 q. a. 4 sol. 1: « Causa principalis utitur *actione instrumenti* quae ei competit ex *nativa virtute* prout est res quaedam, eam *elevando* ut reddatur apta ad consequendum effectum, et instrumentum agendo actionem naturalem pertingit ad effectum qui competit sibi in quantum est instrumentum, sicut dolabra dividendo suo acumine pertingit instrumentaliter ad formam scamni »; S. Th. III q. 62 a. 1 ad 2: « Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis, aliam autem habet actionem propriam, quae

competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum ». Duae tamen actiones non separantur, instrumentum exercet eas simul, agit nempe in virtute superiori communicata a causa principali et virtute sibi propria applicata a causa principali. Necessaria est proinde *elevatio* instrumenti per communicationem virtutis altioris, et *applicatio* instrumenti per motionem causae principalis.

In nostro casu instrumentum est *homo* intellectu, libera voluntate, memoria, vi imaginativa aliisque facultatibus praeditus, vario modo eruditus, etc. Quare concludendum est istas facultates quae ad scribendum librum concurrunt, divinitus elevari et applicari. Requiritur imprimis *elevatio* facultatum hagiographi, nam etiam in ordine naturali Deus movendo *applicat* facultates ad agendum, quin effectus hac operatione productus reddatur intrinsece divinus. Sed praeter elevationem requiritur *applicatio* facultatum, quia causa principalis etiam *exercitium* operationis instrumentalis causare debet. Omnes ergo facultates hominis, quae conferunt ad scribendum librum, virtute supernaturali elevari et applicari oportet.

Haec tamen virtus supernaturalis non est *qualitas habitualiter animae inhaerens*, qua homo pro libitu uti posset, secus ipse iam non esset causa instrumentalis, sed principalis, quia ageret virtute sibi inhaerente, licet divinitus communicata, sed est *virtus transiens* sive passio; cfr. *S. Thom.* II II q. 171 a. 2 in corp. et ad 3 et q. 174 a. 3 ad 3: « Prophetia non est per modum habitus immanentis, sed magis per modum transeuntis » (1).

(1) S. Doctor loquitur de illustratione prophetica, sed idem valet de inspiratione. De doctrina S. Thomae cfr. *H. Pope*, The scholastic view of biblical inspiration, Roma 1912.

Hinc inspiratio recte definitur a *Zanecchia* (1): « influxus divinus, physicus et supernaturalis elevans et movens facultates hominis, ut scripto consignentur ea quae Deus vult et modo quo vult ».

6. Necessariam esse *elevationem intellectus* patet ex *fine* inspirationis biblicae, qui est divina instructio fidelium, praeterea ex ipsa voce quae de communicatione alicuius notitiae intelligi solet, e. g. Iob 32, 8: « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam ». Intellectus vero elevatur communicatione luminis supernaturalis; Deus enim non agit in intellectum, quin eum illuminet. Theologi vocant hanc illustrationem intellectus *adiutorium divini luminis,* ita *S. Thomas* II IIq. 174 a. 2 ad 3: « Plures (scil. hagiographi) loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, *cum adiutorio tamen divini luminis* ». Proprius vero actus intellectus est cognoscere veritatem; veritas autem formaliter invenitur non in simplici apprehensione, sed in *iudicio.* Per consequens lumen supernaturale confertur intellectui ad *infallibiliter iudicandum* sive ad iudicandum *secundum certitudinem veritatis divinae. S. Thom. l. c.*

Hoc vero iudicium est tum *speculativum,* tum *practicum.* Est imprimis iudicium *speculativum,* nam Deus supernaturali virtute scribentibus adstitit (2), ut ea

(1) Op. cit. 75.

(2) E contextu apparet verba « *supernaturali virtute* » non ad sola praedicata « *excitavit* et *movit* » pertinere, sed etiam ad verbum « *adstitit* » referenda esse; dicit enim Summus Pontifex: *supernaturali virtute ita eos excitavit et movit, ita scribentibus adstitit,* etc. cfr. *Merkelbach,* L'inspiration 26 not. 1. Verbum autem « *adstitit* » non significat meram externam assistentiam ad praecavendos errores, sed positivam Dei actionem in auctorem sacrum: Deus supernaturali virtute hagiographis scribentibus praesens fuit, ut ea quae ipse iuberet, recte mente conciperent; cfr. *Ford,* On inspiration l. c. 81: « The words would more naturally mean « to be present with », and would seem to assert a continuous presence throughout the writing of the book. Such continued presence is an essential in the relation between a principal and an instrumental cause ».

omnia quae iuberet, *recte mente conciperent;* porro hoc iudicium speculativum de veritate rerum, quas auctor sacer scribere intendit, est fundamentum *iudicii practici* quo hagiographus iudicavit hoc vel illud esse scribendum. Hinc minime subscribendum est opinioni eorum qui dicunt inspirationem datam esse non *ad cogitandum,* sed ad *scribendum,* quapropter auctorem sacrum non cognovisse melius quam antea *ipsas res scribendas,* sed melius perspexisse *opportunitatem* eas litteris mandandi (1). Nam antequam hagiographus iudicare potuit de opportunitate hanc vel illam rem scribendi, debuit infallibiliter iudicare de veritate eiusdem. Sic actio divina in intellectum habet rationem illuminationis qua Spiritus Sanctus veritates quas Deus hominibus communicare vult, cum certitudine divina menti scriptoris praesentes reddit, nam per Scripturas sacras Deus *immediate* nos docere dignatur (S. *Thomas* in II Tim. 3, 16 (2). Hoc lumine excitantur cognitiones praehabitae, dirigitur attentio auctoris ad conceptus in ipsius mente praeexistentes, quos Deus suos facere vult, scriptor sacer hoc lumine corroboratus documenta colligit, fontes examinat, ordinat veritates et facta tali modo, ut finis a Deo et ab ipso intentus obtineatur. Quia ergo *certum finem* intendit auctor sacer, cum iudicio speculativo coniunctum est *iudicium practicum,* quod est veluti ultimus effectus actionis Dei in intellectum. Hagiographus infallibili certitudine iudicat hoc vel illud esse scribendum, hoc vel illud documentum libro inserendum etc.

7. Res quas hagiographus scribendas esse iudicavit, vel *propria experientia* novit, sicut S. *Lucas* qui in al-

(1) Ita *Calmes,* Qu'est-ce que l'Ecriture sainte 37-40; *Merkelbach* 32-35 etc.

(2) Vide *Lagrange,* Revue bibl. V (1896) 209 sq.; *Chauvin,* L'inspiration, 33 sq.; *Vosté,* De Prologo Ioanneo et Logo. Accedit Quaestio de iudicio inspirato hagiographi (Opuscula biblica Pontificii Collegii Angelici), Romae 1925, 66-68.

tera parte Actuum multa narrat quae tamquam comes S. Pauli ipse vidit et audivit, vel *propria industria naturali rationis lumine* acquisivit, sicut idem S. Lucas, qui antequam scriberet Evangelium, omnia ab initio diligentissime perscrutatus est, vel sicut auctor libri Regum, qui e scriptis documentis opus suum conflavit, vel demum *divina revelatione* accepit, sicut plerumque prophetae.

Hinc inspiratio per accidens potest esse coniuncta cum *revelatione*, quae formaliter importat *supernaturalem manifestationem* et *acceptionem rei ignotae*. Neque tamen inspiratio cum revelatione stricte dicta confundi debet, nam inspiratio qua talis non includit in suo conceptu manifestationem et acceptionem novarum rerum, sed supernaturalem illustrationem, qua mente hagiographi infallibili certitudine exhibentur res quas scribere debet, vel sicut ait *Zigliara* [1]: « inspiratio cum iudicio, sed sine acceptione (cognitorum) est proprie et vere inspiratio divina ».

Potest ergo distingui *inspiratio coniuncta cum revelatione*, qualem habebant *prophetae*, et *inspiratio sine revelatione*. Audiatur *doctor Angelicus* [2]: « Si lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione cognosci possunt, sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem: cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine prophetarum. Unde ex persona Domini loquebantur dicentes ad populum: Haec dicit Dominus, quod non faciebant illi qui hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed

[1] Propaedeutica ad sacram Theologiam [5], Romae 1884, 147.
[2] II II q. 174 a. 2 ad 3.

ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis ». Quia vera divina illuminatione veritates iam notae menti sacri auctoris novo modo praesentes reddantur in ordine ad scribendum, haec illuminatio in sensu latiore revelatio dici potest; hinc dicit *Zigliara* inspirationem esse quid imperfectum in genere revelationis.

Quidam auctores influxum *mere indirectum* Dei in intellectum scriptoris humani admittunt: dicunt nempe actionem divinam esse meram directionem, vi cuius hagiographus e veritatibus et factis iam naturaliter cognitis vel divinitus revelatis eligit ea quae Deus litteris consignari vult. Sub hac directione divina intellectus hagiographi agit componendo veritates et facta, ut finis a Deo intentus obtineatur. Sufficit, ut Deus moveat voluntatem versus obiectum, quod debet esse argumentum libri, quin hagiographo suggerat rem scribendam; ex hac actione divina in voluntatem resultat excitatio intellectus. Scriptor sacer concipit et elaborat ipse opus suum, quasi esset relictus suis viribus, vult tamen librum, quia Deus fecit eum velle, hinc liber, licet conceptus ab homine, Dei est et a Deo. Ita *E. Levesque* (1) influxum divinum explicat.

Iuxta hanc sententiam inspiratio esset essentialiter *motio* voluntatis ad scribendum, cuius effectus immediatus esset excitatio intellectus. Attamen haec explicatio non est admittenda, nam, iuxta *Leonem XIII*, unus ex effectibus immediatis inspirationis est *recta conceptio* rerum scribendarum, quare non sufficit motio ad scribendum (2).

(1) Essai sur la nature de l'inspiration, Revue des Facultés catholiques de l'Ouest 1895, 208-211, cfr. Revue bibl. VI (1897) 534 sq.: « l'influence divine se contente de fixer l'attention de l'écrivain sur les vérités et les faits connus naturellement, pour qu'il choisisse et ne transmette que ce que Dieu veut ».

(2) Cfr. *E. Mangenot*, Dictionnaire de la Bible III 904: « Ce dernier sentiment, qui fait consister l'inspiration essentiellement

8. Inspiratio elevat et efficaciter movet *voluntatem* humani auctoris, ut scribat ea quae adiutorio divini luminis cognovit esse scribenda, quia causa principalis etiam exercitium operationis instrumentalis causare debet; falsa enim esset notio inspirationis, quae excluderet influxum physicum Dei in voluntatem sacri auctoris, i. e. quae statueret merum influxum moralem et mediatum, nam in hoc casu Deus esset tantum *auctor moralis* Scripturarum. Causa enim principalis non solum tribuit instrumento virtutem qua redditur aptum ad effectum producendum, sed etiam causat actionem instrumentalem quam instrumentum exercet virtute sibi data ab agente principali, cfr. *S. Thom.* contra gent. III 89: « Illud in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus ».

9. Praeter intellectum et voluntatem omnes aliae facultates hominis quae ad producendum effectum quem Deus sibi proposuit, concurrunt, suo modo elevantur et applicantur, i. e. vis imaginativa et memoria, quatenus intellectui serviunt, etiam facultates executivae; per consequens inspiratio divina attingit ipsam actionem scribendi, ut totus effectus attribui possit Deo auctori principali et hagiographo auctori instrumentali. Hoc est enim de ratione causae principalis et instrumentalis, ut *totus* effectus sit utriusque, ut docet *Doctor Angelicus* (ib. III 70): « Patet quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum, *sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus* ».

---

dans la motion à écrire, ne nous semble pas expliquer assez nettement l'effet produit sur l'intelligence des écrivains sacrés, *ut recte mente conciperent,* car la conception du livre a été toute entière opérée sous l'influence divine, et non pas seulement le jugement pratique, porté sur l'opportunité d'écrire les concepts précédemment acquis ».

CAPUT III.

De extensione inspirationis.

1. Plures auctores in sacris Litteris distinxerunt partes ab hagiographis sub divina inspiratione conscriptas et partes sola humana industria concinnatas.

Cum enim *concilium Tridentinum* praescribat, ne quis sacram Scripturam in *rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, contra eum sensum, quem tenet sancta mater Ecclesia aut contra unanimem consensum Patrum explicet, cum praeterea *concilium Vaticanum* doceat Romanum Pontificem in *definienda doctrina ad fidem vel mores pertinente* infallibilitate gaudere, posset quis opinari etiam inspirationem divinam doctrinas dumtaxat fidei et morum in sacris Litteris contentas attingere.

Reapse *Holden*, doctor Sorbonensis († 1662), restrinxit inspirationem divinam ad res fidei et morum et res cum illis connexas: « Quod auxilium speciale divinitus praestitum auctori cuiuslibet scripti quod pro verbo Dei recipit Ecclesia, ad ea solummodo se porrigat, quae vel sint pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habeant ad doctrinalia respectum, in iis vero quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune est » [1].

[1] Divinae fidei analysis, Parisiis 1652 l. I c. 5 lect. 1.

Similiter sensit *A. Rohling* (1), neque multum discrepat sententia a *Lenormant* († 1883) proposita, qui in opere : Les Origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux, Paris 1880 I préface VIII haec habet : « Les décisions de l'Eglise n'étendent l'inspiration qu'à ce qui intéresse la religion, touche à la foi et aux mœurs, c'est à dire seulement aux enseignements surnaturels contenus dans les Ecritures. Pour les autres choses le caractère humain des écrivains de la Bible se retrouve tout entier ». Opus auctoris a. 1887 in indicem librorum prohibitorum relatum est (2).

Cardinalis *I. H. Newman* († 1890) (3) influxui inspirationis subtraxit *res obiter dictas* i. e. res minoris mo-

(1) Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die freiere Forschung, Natur u. Offenbarung XVIII (1872) 97-108. Contra eum scripsit *I. Rebbert*, Die Inspiration der Bibel in Dingen der natürlichen Erkenntnis, ib. 337-357; respondit *Rohling*, ib. 385-394; 432, cfr. et *Franzelin*, de div. Trad. et Script. 520-537.

(2) Contra Lenormant egerunt *H. Lefebvre*, Revue cath. de Louvain 1880, 485-510; *Fr. Hummelauer* S. I., Inspiration und Mythus, Stimmen aus M. Laach XXI (1881) 348-362, 448-456.

(3) On the Inspiration of Scripture, The Nineteenth Century Review LXXXIV (1884) 185-199. Versio gallica elucubrationis facta a *Beurlier* apparuit in folio periodico: Le Correspondant II (1884) 682-694; separatim ed. sub titulo: L'inspiration de l'Ecriture Sainte. Paris, 1884. In postscripto edito sub tituló: « What is the obligation for a catholic to believe concerning the inspiration of the canonical Scriptures », *Newman* ita definit obiter dicta: phrases aut partes phraseum vel propositionum quibus exprimuntur facta quae nullum nexum habent cum fide et moribus ideoque absque violentia elemento humano in scriptione sacrarum Litterarum attribui possunt.

Contra illustrissimum auctorem scripserunt *I. Brucker*, L'étendue de l'inspiration des livres saints, La Controverse N. S. II (1884) 529-545; III (1885) 117-142; Questions actuelles d'Ecriture Sainte, Paris 1895, 54-90; *Fr. Schmid*, Controversen über die Inspiration, Zeitschr. f. kath. Theol. X (1886) 142-162; cfr. *J Corluy* S. I., Y a-t-il dans la Bible des propositions non inspirées?, Science catholique VII (1893) 481-507.

menti quae non pertinent ad substantiam sacrarum Scripturarum, quia non videntur habere nexum cum rebus fidei et morum; huiusmodi obiter dicta sunt canis Tobiae caudam movens, pallium a S. Paulo Troade relictum (II Tim. 4, 13), etc.

Salv. di Bartolo res profanas exemit ab influxu divinae inspirationis: « La divina ispirazione, o l'intervento soprannaturale non si estende agli elementi accessorii dei fatti narrati nei libri della Santa Scrittura. Non vi ha ispirazione o intervento soprannaturale nelle materie estranee all'ordine religioso » (1).

Etiam *P. Semeria* (2) negavit extensionem inspirationis ad ea quae Deus utpote ad finem S. Scripturae minime pertinentia sacris auctoribus scribenda reliquit; similiter sensit *P. Savi* (3).

2. Attamen haec sententia, quae extensionem inspirationis plus minusve restringit, contraria est traditioni catholicae quae tenet integram Scripturam cum omnibus suis partibus esse divinitus inspiratam. Licet Ec-

(1) I criteri teologici, Torino 1888 crit. 9, prop. neg. 2. In editione gallica: Les critères théologiques, Paris 1889, 254 paululum mutatur sententia: « L'inspiration est à son minimum dans les matières d'ordre extra-religeux, et ce minimum d' inspiration ne garantit pas l'infaillibilité de la coopération humaine ». Liber anno 1891 in indicem librorum prohibitorum relatus, iterum prodiit emendatus Romae a. 1904 sub titulo: Nuova esposizione dei criteri teologici. — Etiam *I. Didiot*, Logique surnaturelle subjective, Paris 1891, 103 liberiori sententiae adhaesit, sed postquam apparuerunt litterae encyclicae « Providentissimus Deus », eam retractavit in opere: Traité de la Sainte Écriture d'après S. S. Léon XIII, Paris 1894.

(2) Rev. bibl. II (1853) 434 sq.: « Il faut toujours distinguer, dans l'Écriture entre ce que Dieu a fait faire, et ce qu'il a simplement laissé faire à l'homme... tout ce qui était nécessaire pour que le livre obtînt son but, c'est à dire pour qu'il fût tel que Dieu le voulait, Dieu l'a fait faire; tout ce qui était indifférent à ce but, Dieu l'a laissé faire ».

(3) Science catholique VII (1892-93) 289-301.

clesia doctrinam de universali extensione inspirationis non explicite definierit, implicite tamen eam proposuit *concilium Vaticanum* docens libros integros *cum omnibus suis partibus* pro sacris et canonicis esse recipiendos, ideo quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem. Cum nulla prorsus sit ratio limitandi illa verba: « libros integros cum omnibus suis partibus » ad res fidei et morum, vel ad res maioris momenti vel primarie a Deo intentas, admittendum est ipsis comprehendi omnia, etiam res profanas et accessorias. Authentica doctrinae concilii interpretatio traditur in *litteris encyclicis* « *Providentissimus Deus* »: « Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus se expediunt id nimirum dare non dubitantes inspirationem ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti sunt » ([1]).

Sancti enim Patres numquam in sacris Litteris distinguunt inter res fidei morumque et res mere profanas vel inter partes essentiales et accessorias, sed semper affirmant omnia in S. Scriptura contenta usque ad levem apicem esse eloquia Dei sive verba Spiritus Sancti. Sic *S. Gregorius Nazianzenus* orat. apol. II 105 (PG. 35, 504) dicit: « Nos... Spiritus diligentiam vel usque

([1]) Enchiridion Biblicum 42 n. 109; *B. R. Bellarminus*, De verbo Dei I, 6 censet haereticam esse sententiam eorum, qui in b. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictitante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce. Saltem haec sententia *falsa, erronea* ac *temeraria* dicenda est.

ad levem apicem vel lineam trahimus » (οἱ καὶ μεχρὶ τῆς τυχούσης κεραίας καὶ γραμμῆς τοῦ Πνεύματος τὴν ἀκρίβειαν ἕλκοντες); *S. Basilius* in Hexaem. hom. 6 n. 11. (PG. 29, 144), asserit in verbis divinitus inspiratis ne unam quidem syllabam esse otiosam; *S. Io. Chrysostomus* hom. 15 in cap. 2. Gen. n. 1 (PG. 53, 119): « Doceamus vos neque dictionem parvam neque syllabam unam in divinis Litteris contentam esse praetereundam (μηδὲ βραχεῖαν λέξιν μηδὲ συλλαβὴν παρατρέχειν). Non enim verba qualiacumque sunt, sed Spiritus Sancti verba ». Ipse hom. 31 in ep. ad Rom. n. 1. (PG. 60, 667) vituperat eos qui ultimam epistolae ad Romanos partem praetercurrunt ut superfluam et quae nihil magni habeat: quia enim nominum est catalogus, non se magnum inde lucrum facturos arbitrantur. De *S. Hieronymo* dicitur in litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus »: « affirmat, quod omnibus sacris scriptoribus commune est, ipsos in scribendo Dei Spiritum secutos, ut omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus sit ».

Nec aliter senserunt theologi scholastici medii aevi. Hinc optime *Melchior Canus* de loc. theol. II, 17, 3: « Ipsi vero fateamur singula quaeque sive magna sive parva a sacris auctoribus Spiritu Sancto dictante esse edita. Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est; id itaque et nos, et Ecclesia praesertim ipsa magistra et duce, retinere debemus ».

Praeterea sententia quae extensionem inspirationis restringit pervertit notionem *causalitatis instrumentalis*, quia partem effectus tribuit causae principali, partem causae instrumentali, cum totus effectus sit utriusque, licet diverso modo.

Insuper e limitatione inspirationis maximum sequeretur inconveniens: licet enim in plurimis casibus facile possit diiudicari, quid ad doctrinam religiosam

pertineat, quid non, in permultis tamen limites inter doctrinas religiosas et non religiosas vix discerni possunt, hinc fluctuaret et legentium et audientium fides, dum ignoraret, quo spiritu, utrum hominis an Dei, quaelibet libri Scripturarum particula fuisset scripta, aut Deus debuisset tradere medium sive criterium aliquod certum atque infallibile, ope cuius partes inspiratas ab aliis secernere possemus. Cfr. *S. Augustin.* ep. 28 n. 4 (PL. 33, 113).

3. Iam oritur quaestio, an inspiratio divina se extendat ad singula vocabula, seu aliis verbis, an admittenda sit *inspiratio verbalis*. Ante omnia sciri debet, quid intelligatur nomine inspirationis verbalis. Potest nempe concipi ad modum *dictationis singulorum vocabulorum* a parte Dei, auctore inspirato omnino passive se habente; quo admisso hagiographus non esset nisi *ammanuensis* qui fideliter ac mere *mechanice* scripserit dictata a Deo. Potest tamen etiam in sensu latiore accipi, ita videlicet, ut idem supernaturalis influxus Dei, quo hagiographus veritates a Deo intentas scribendas conceperit et exprimere voluerit, etiam hoc effecerit, ut auctor sacer eas sub hac forma litteraria conciperet et litteris mandare vellet servata tamen actione propria quoad formam litterariam; aliis verbis: quidquid hagiographus in exarando libro agit, sub influxu inspirationis divinae agit, ita quidem ut nihil omnino, ergo ne vocabula quidem ab ipso electa, huic influxui divino subtrahantur.

a) *Mechanicum inspirationis verbalis conceptum* tenebat *schola philosophica hellenistica Alexandrina*: tota S. Scriptura dicta est a Spiritu divino exclusa quavis cooperatione humana (1).

(1) Ita *Philo*, Quis rer. div. heres § 52 et 53 (ed. *Mangey* 510 et 511); cfr. *I. B. Frey*, Revue bibl. N. S. XIII (1916) 496 sq.; *W. S. Reilly*, ib. XIV (1917) 492 sq.; *Iosephus Flavius* Ant. IV, 6, 5.

Ab hac sententia vix discrepat opinio *Fredegisi*, Abbatis Turonensis (saec. 9), cui obiicit *Agobardus*, episcopus Lugdunensis (779-840) [1]: « Apparet etiam ex his verbis vestris, quod ita sentiatis de prophetis et apostolis, ut non solum sensum praedicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum ipse formaverit. Restat ergo, ut sicut ministerio angelorum vox articulata formata est in ore asinae, ita dicatis formari in ore prophetae ». Nimis mechanice etiam *antiquiores Protestantes* (non ipse *Lutherus*) [2] inspirationem concipiebant, e. g. *Guisbertus Voetius* († 1676), duo *Buxtorfii*, qui inspirationem extendebant ad ultimam litteram, immo ad signa vocalium [3]. Audiatur *I. G. Carpzovius* († 1767) [4]: Deus immediate omnia suggessit et manum hagiographorum direxit, ut infallibiliter scriberent, neque tamen plus conferrent ad Scripturam quam calamus velocis scribae, hinc ex inspiratione omnia et singula promanarunt, ipsae syllabae, litterae, apices.

Nostris temporibus haec sententia ab omnibus explodituر, nam aperte pugnat cum indole sacrarum Scripturarum, quae modo enuntiandi ideas magnopere inter se differunt; nonnulli enim ex auctoribus sacris eminent mira elegantia sermonis, alii vero maiorem linguae rusticitatem prae se ferunt: haec indoles ut ita dicam personalis stili nequit explicari, nisi concedatur hagiographis libertas in seligendis vocabulis. Praeterea ipsae Scripturae attestantur auctores sacros interdum magno cum labore argumentum librorum suorum collegisse et

[1] Lib. adv. Fredegisum n. 12 (PL. 104, 166).

[2] Cfr. *H. Grisar* S. I., Luther II, Freiburg 1911, 708 sq.

[3] In *formula consensus Helvetica* can. 2 dicitur codicem hebraicum esse inspiratum tum quoad consonas, tum quoad vocalia, sive puncta ipsa, sive punctorum saltem potestatem.

[4] Critica sacra Veteris Testamenti ², Lipsiae 1748, 44 sq.

in ordinem redegisse. Sic e. g. scriptor secundi libri Machabaeorum qui historiam a Iasone quinque libris expositam in unum volumen contraxit, vocat opus suum negotium plenum vigiliarum et sudoris (2, 24. 27); S. Lucas omnia diligentissimo studio perscrutatus est (1, 3). Plures hagiographi usi sunt fontibus scriptis, quos interdum ad verbum exscripserunt (e. g. lib. Reg. et Par.), inseruerunt libris suis documenta profana (cfr. epistolas regum Persarum in libro Esdrae); in his casibus dictatio verbalis erat omnino superflua.

Verum est apud Patres inveniri phrases et imagines, quae si urgeantur, mechanicum inspirationis conceptum exprimere videntur, e. g. quando Patres dicunt Spiritum Sanctum hagiographis usum esse velut si tibiam inflet tibicen (*Athenagoras,* leg. pro christ. 9, PG. 6, 908), vel auctores sacros esse quasi instrumenta citharae aut lyrae quae plectro e caelo delapso (i. e. Spiritu divino) pulsentur (*Cohortatio ad Graecos* 8, ib. 256) etc.; sed huiusmodi comparationes non ad rigorem litterae intelligendae sunt, cum Patres non negent auctores sacros pro diverso ipsorum ingenio libere operam suam contulisse..

Sic *Origenes* select. in Deut (PG. 12, 805) affirmat prophetam propria lingua usum esse ad enuntianda quae ipsi revelata erant; *S. Hieronymus,* qui opinatur singulos sermones, syllabas, apices, puncta in divinis Scripturis plena esse sensibus (in ep. ad Eph. II, 3, PL. 26, 512), alibi monet Pammachium (ep. 57 n. 6, PL. 22, 572). « Alii syllabas aucupentur, tu quaere sententias ». Conferendus est etiam modus quo hic sanctus Doctor de singulis prophetis iudicat, e. g. praef. in Isaiam (PL. 28, 825): « De Isaia sciendum, quod in sermone suo dissertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admixtum », prol. Ierem: « Ieremias sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem Spiritu prophetaverit. Porro sim-

plicitas eloquii a loco ei in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathotites qui est usque hodie viculus ».

b) Multi auctores *quamcumque inspirationem verbalem* reiiciunt, quorum praecursor erat *Lessius*, qui hanc proposuit thesim : *Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium, singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto.* Hanc sententiam penitius evolvit Card. *Franzelin* († 1886) (1), qui in S. Scriptura duplex distinguit elementum : *formale* i. e. res et sententias (argumentum) et *materiale* i. e. formam externam litterariam, phrases et vocabula. Primum attribui debet Deo, alterum relinquitur auctori humano, a quo externa Dei assistentia omne in seligendis vocabulis errandi periculum avertitur. Deus supernaturali illustratione effecit, ut mens auctoris humani totum argumentum quod ipse hominibus communicare voluit, conciperet scribendum, gratia efficaci movit voluntatem, ut illud litteris mandaret, in scribendo auctori adstitit, ut sensum a Deo intentum sine errore exprimeret. Duplex proinde in hac explicatione ponitur actio divina, una *positiva* et *interna* in intellectum et voluntatem hagiographi quae respicit *elementum formale*, *altera* negativa et externa, i. e. externa assistentia ad praecavendos errores. Sicut homo iure vocari potest auctor libri, si scribenti suggessit argumentum, concedens ei libertatem in seligendis terminis et propositionibus (cfr. modum quo S. Paulus dicitur esse auctor epistolae ad Hebraeos), ita Deus est auctor, quatenus suggessit hagiographo veritates quas hominibus communicare voluit, et providit, ut istae veritates apte exprimerentur.

Hanc sententiam plerique auctores amplexi sunt e. g. *Crets* (2), *E. Grandclaude* (3), *De San* (4), *Mazzel-*

(1) Tractatus de div. Trad. et Script.[4] 317.

(2) De divina inspiratione 105-127.

(3) La question biblique d'après une nouvelle école d'apologistes chrétiens, Paris 1893, 62-66.

(4) Tract. de div. Trad. et Script. 241-255.

la [1], *I. Brucker* [2], *Schiffini* [3], *Knabenbauer* [4], *Cornely-Hagen* [5], *Pesch* [6], *Vigouroux* [7], quibus addi possunt *Hettinger* [8], *Heicl* [9], *Trochon* [10], *Székely* [11], et ex antiquioribus *Marchini* [12]. *Fr. Schmid* qui fuse sententiam docti Cardinalis proponit, admittit *specificam* libri *formam*, e. g. ut sit liber scriptus in forma epistolae aut dialogi, praeterea plurima quae ad eloquentiae biblicae indolem pulchritudinemque constituendam haud parum faciant, ad elementum divinum suo modo pertinere, immo in quibusdam locis ipsa verba et totius elocutionis formam a Deo fuisse determinata [13].

In genere dicunt laudati auctores ex tradito inspirationis conceptu patere singula verba non pertinere ad formalem rationem libri, ita ut Deus vere dici ac esse possit auctor S. Scripturae, licet omnia et singula vocabula non inspiraverit. Concedunt tamen quaedam vocabula maioris momenti pro doctrina fidei, e. g. λόγος, a Deo electa et hagiographo suggesta fuisse; hinc dicit *Mazzella* [14]: « in quibusdam locis S. Scripturae, ubi proponitur e. g. mysterium aliquod proprie dictum, ipsa verba possent esse suppeditata a Deo ». Praeterea

[1] De virtutibus infusis [4], Romae 1894, 523-526.

[2] Questions actuelles etc. 24-53; Études t. LXX (1897) 113-119; L'église et la critique biblique, Paris 1908, 35-78.

[3] Divinitas Scripturarum 241 sq. Fatetur tamen sententiam affirmantem (scil. quae admittit inspirationem verbalem) esse valde probabilem, si non fiat quaestio de iure, sed de facto. Nam multi Patres et Doctores huic affirmationi adstipulantur.

[4] Stimmen aus M. Laach LIII (1897) 76 sq.

[5] Compendium [8], 689 sq.

[6] De inspiratione 482 sqq. Supplementum 5-8.

[7] Manuel biblique I [13], 55-61.

[8] Lehrbuch der Fundamentaltheologie [2], Freiburg 1880, 677 sq.

[9] Die Wortinspiration der hl. Schrift, D. Katholik 1900, I 115 sqq.; 223 sqq.; 326 sqq.

[10] Introduction générale I, Paris 1901, 79 sqq.

[11] Hermeneutica biblica generalis, Friburgi 1902, 197 sq.

[12] De divinitate sacrorum Bibliorum, 84.

[13] De inspirationis Biliorum vi et ratione 350 sqq.

[14] Op. cit. 526.

iuxta illos ad divinam assistentiam pertinuit impedire quemcumque in verbis errorem qui sensum ipsum immutaret.

Notandum tamen est istos auctores concipere inspirationem verbalem ad modum *dictationis* singulorum vocabulorum a parte Dei. Hinc dicit *Hurter* (1): « Ex analysi doctrinae catholicae de inspiratione liquet verborum dictationem per se et necessario ad inspirationis rationem non pertinere ». Hoc verissimum est si *dictatio* intelligitur in sensu stricto.

c) Omnia argumenta allata ab adversariis inspirationis verbalis impugnant *dictationem verborum*:

α) Deus non operatur nisi res necessarias aut utiles. Atqui electio vocabulorum dependet a facultatibus ipsius hagiographi, quarum usus inspiratione divina non impeditur; cfr. *Marchini* (2): « Dici nequit a Spiritu Sancto ademptum fuisse apostolis aut prophetis rationis, memoriae, iudicii usum; haec igitur omnia scribendo adhibuerunt ».

β) Ex varietate stili quae prodit indolem personalem cuiusvis hagiographi, apparet Deum non inspirasse singula vocabula.

γ) Interdum idem factum diversimode narratur a diversis auctoribus sacris; e. g. in Novo Testamento institutio S. Eucharistiae quater exhibetur cum haud levibus discrepantiis. Admissa hypothesi inspirationis verbalis exspectanda esset concordia saltem in verbis institutionis.

δ) Ipsi sacri scriptores insinuant se non recepisse inspirationem verborum, affirmant se multo cum labore et sudore libros composuisse, e. g. auctor II lib. Machabaeorum qui dicit (2, 27) se suscepisse negotium plenum vigiliarum et sudoris et se excusat (15, 39), si minus bene scripserit.

4. Plurimi theologi tenent inspirationem verbalem,

(1) Theologia dogmatica I Oeniponte 1896, 182.
(2) Op. cit. 84.

quae tamen toto coelo differt a dictatione singulorum vocabulorum; dicunt nempe, actionem divinam qua elevantur et applicantur facultates hagiographi ad componendum librum, debere attingere *ipsum effectum* i. e. scriptionem libri.

Si distinctio inter *partem formalem* S. Scripturae (res et sententias) et *partem eius materialem* (formam litterariam, verborum delectum) intelligitur in sensu rigido, haec sententia omnino repudianda est. Si enim inspiratio est mera communicatio vel suggestio veritatum a Deo facta, a parte humani auctoris erit mera acceptio veritatum; proinde homo in inspiratione, i. e. quantum ad *elementum formale, passive* tantum se haberet, Deus esset unica causa activa. Inspiratio hoc modo concepta parum differret a revelatione, suggestio enim idearum, locutio Dei ad hominem, est species revelationis; ita *Franzelin* [1]: « Si revelatio intelligitur sensu minus stricto sed frequentissimo, veritatis propositio ab ipso Deo facta, sane inspiratio quaevis ad scribendos libros sanctos est revelatio ». Compositio vero libri sive *elementum materiale* esset exclusive opus hominis; homo scribens librum iam non esset instrumentum quod ageret elevatum et applicatum a causa principali i. e. a Deo. Nulla enim persona vel res dicitur instrumentum, in quantum recipit, sed inquantum agit. Liber esset *divinus ratione argumenti, humanus ratione compositionis.* Res et sententiae per se nondum constituunt librum; ad *essentiam* libri omnino requiritur, ut res et sententiae *verbis scriptis* exprimantur; hinc auctor sacer sub influxu divino concepit res non simpliciter, sed *ut scribendas.* Quare actio divina qua elevantur et applitantur facultates hagiographi ad componendum librum, debet attingere ipsum *effectum,* i. e. *scriptionem* libri; quidquid auctor humanus agit in exarando libro, agit sub influxu inspirationis. Nam, uti superius dictum fuit, secundum veram notionem causae principalis et

[1] De trad. et script, 322.

instrumentalis *totus* effectus est utriusque. Assistentia mere negativa in seligendis vocabulis non sufficit.

Ita *Scheeben* [1], *Heinrich* [2], *C. de Schäzler* [3], *Fr. Fernandez O. S. A.* [4], *H. Schell* [5], *Chauvin* [6], *Pègues* [7], *E. Levesque* [8], *Lagrange* [9], *Ch. P. Grannan* [10], *Th. Calmes* [11], *P. Mannens* [12], *Billot* [13], *E. Granelli* [14], *Zanecchia* [15], *O. Engel* [16], *L. Hackspill* [17], *H. Poels* [18], *A. Tanquerey* [19], *Van Noort* [20], *Merkelbach* [21] etc.

[1] Dogmatik I, Freiburg 1873, 155.

[2] Dogmatische Theologie I ², Mainz 1881, 721 sq.

[3] Introductio in Theologiam dogmaticam ad mentem D. Thomae Aquinatis. Opus posthumum ed. *Th. Esser*, Ratisbonae 1882, 79 sqq.

[4] Dissertatio critico-theologica de verbali sacrorum Bibliorum inspiratione, Revista Augustiniana VII (1884), 343 sqq.; VIII, 19 sqq.;

[5] Katholische Dogmatik I Paderborn 1889, 106 sq.

[6] L'inspiration 48-51; 157-165; Leçons d'introduction générale, Paris 1898, 58-62.

[7] Une pensée de saint Thomas sur l'inspiration scripturaire, Revue Thomiste III (1895) 159 sq.

[8] Questions actuelles d'Écriture sainte, Revue bibl. IV (1895) 40-53.

[9] L'inspiration des livres saints, Revue bibl. V (1896), 214 sq.; cfr. ib. N. S. IV (1905) 563-571.

[10] The Twofold autorship of sacred Scripture, Cath. University Bull. III (1897), 151.

[11] Qu'est-ce que l'Écriture sainte? 54-62.

[12] Theologia fundamentalis, Ruremundae 1901, 204.

[13] De inspiratione ³ 29, 62.

[14] De inspiratione verbali S. Scripturae brevis dissertatio, Divus Thomas II. S. III (1902) 211-223; 331-340; 433-444.

[15] De inspiratione divina 207-230.

[16] Die Natur der biblischen Inspiration, Pastor bonus XVII (1905) 492-500.

[17] L'inspiration scripturaire à propos d'un livre récent, Bulletin de Littérature ecclésiastique 1905, 46 not. 2.

[18] History and Inspiration, Cath. University Bull. XI (1905) 58 not. 1.

[19] Synopsis theologiae fundamentalis I ²⁰, 1925, 676.

[20] Tractatus de fontibus revelationis ³ 40-48.

[21] L'inspiration 39-41. Antiquiores auctores qui hanc sententiam tenent vide apud *Vosté*. De natura et extensione inspirationis biblicae 23.

Argumenta in contrarium allata facile solvi possunt :

α) Inspiratio divina minime tollit modum concipiendi et scribendi singulis hagiographis proprium, sed eum elevat et applicat ; hinc inspiratio biblica non impedit libertatem hagiographi, qui dum sub influxu inspirationis infallibiliter exprimit ea quae Deus scribenda vult, retinet liberum exercitium eligendi phrases et verba. Valet enim principium, quod statuit *S. Thomas* I q. 83 a. 3 : « Sicut in naturalibus causis, movendo eas (Deus) non aufert, qui actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in unumquodque secundum eius proprietatem ».

β) Neque inspiratio divina excludit varietatem stili aut *defectus* qui in lingua et stilo occurrunt, voces minus proprias, irregularitates in syntaxi etc. Hagiographus enim sicut quodlibet instrumentum simul cum actione instrumentali causata per motionem causae principalis exercet actionem propriam, suae naturae et individualibus dispositionibus consonam. Optime rem explicat *Van Noort* (1) : « Non sequitur obscuritates, imperfectiones styli, barbarismos etc. quae in Scriptura inveniuntur, Spiritui Sancto esse tribuenda. Haec omnia non sunt nisi defectus perfectae claritatis in concipien-

(1) Op. cit. 46. Cfr. etiam *L'Ami du Clergé* 1924, 535: « L'hagiographe n'étant qu'une cause instrumentale, a comme tout instrument une double action. Il agit d'après la vertu de l'agent principal qui l'utilise, mais il agit aussi suivant sa forme propre. *Il donne donc à la formation des idées élaborées dans son intelligence, sous la motion divine, son cachet personnel tant pour la modalité des concepts que pour celle de la rédaction et du style.* Le tempérament spécial de l'auteur inspiré n'est nullement modifié par l'action divine, ses aptitudes ne sont pas davantage accrues; seulement elles sont surélevées de telle sorte que par l'illumination de l'intelligence et l'assistance divine dans la rédaction, il conçoive et transcrive infailliblement les pensées divines ».

dis, perfecti ordinis atque elegantiae in disponendis et exprimendis rebus. Quum igitur non sint effectus, sed defectus, nonnisi virtuti defectibili et deficienti tribui possunt, et ita in solum hagiographum tamquam in causam reducuntur... Supposito autem quod Deus hagiographos imperfecte excultos assumpserit, iisque reliquerit actionem vere humanam et individualem, imperfectiones praedictae naturaliter sequebantur, quemadmodum si musicus perfectissimus utitur instrumento stridenti, naturaliter sequitur musica minus sonora. Ceterum etsi imperfectiones, de quibus agimus, non reducantur in Deum sicut in causam, minus recte diceretur eas praeter voluntatem Dei irrepsisse, siquidem libere assumendo instrumentum minus perfectum, et non auferendo imperfectas eius dispositiones, Deus per accidens voluit istos defectus, directe volendo et causando bonum, cui coniunguntur ».

Huc referendum est id quod *S. Thomas* sapientissime notat de prophetia : « Indifferens est ad prophetiam, quibuscumque similitudinibus res prophetica exprimatur. Et ideo homo ex operatione divina *non immutatur* circa prophetiam, removetur autem divina virtute, si quid prophetiae repugnat (II II q. 172 a. 3 ad 1) ; prophetiae autem error repugnat, qui divina virtute removetur. Ex dictis patet non esse ad rem obiectionem ; Deus regulas grammaticae ignorasse dicendus esset si reapse et verba inspirasset (1), Hoc verum esset, si inspiratio verbalis conciperetur ad modum dictationis singulorum vocabulorum.

γ) Quodsi Evangelistae diversimode tradunt verba Christi, dicendum est Deum per inspirationem ipsis non revelasse verba a Christo prolata, sed effecisse, ut adiutorio divini luminis muniti ea litteris mandarent, prout memoria tenebant. Immo posset ab adversariis quaeri, an verba et facta Christi tantum ad elementum

(1) *Zschokke-Döller*, Historia sacra V. T. 7, Viennae 1920, 472.

materiale S. Scripturae pertineant: quodsi ad elementum formale, cur non omnes Evangelistae eadem verba et facta Christi exhibent? cur non orationem dominicam et verba institutionis sacramenti Eucharistiae eodem modo tradunt?

δ) Inspiratio divina non excludit laborem quem auctores sacri in librorum compositionem impendunt. Charisma enim inspirationis ipsis conceditur, non ut *facilius* scribant, sed ut quae scribant, sint eloquia Dei ab omni errore immunia. Utique si Spiritus Sanctus omnia et singula vocabula suggereret, nullus requireretur labor in scribendo libro; sed cum hagiographus simul cum actione instrumentali quam exercet virtute supernaturali sibi communicata, exerceat etiam actionem sibi propriam secundum conditiones suas individuales, non est, cur labor et studium excludenda sint.

Sed posset quis dicere *Patres* negasse inspirationem verbalem. Sic e. g. *S. Augustinus* de cons. Evang. II 12 n. 27 (PL. 34, 1090) monet in Scripturis ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae; hinc non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando ii, qui non eadem locutione utantur, rebus sententiisque non discrepent. Simili fere modo loquitur *S. Hieronymus* ep. 57 ad Pammach. n. 6 (PL. 22, 572); « Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias ». Attamen ipse sanctus Doctor innuit, quo sensu hoc sit intelligendum, dicit nempe in Gal. 1, 11: « Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, i. e. verba nihil proderunt, si sensus ignoratur. Verba enim sunt propter sensum, unde inspiratio divina attingit verba non propter ipsa, sed propter sensum ipsis exprimendum. Ceterum dicta Patrum faciunt tantum contra *mechanicum* inspirationis verbalis conceptum, iuxta quem verba in individuo a Deo determinata essent.

Inspiratio verbalis, prout iuxta principia Doctoris

Angelici explicatur, est sola legibus philosophiae et imprimis psychologiae consona. Optime cl. *Billot* (1): « Si consideres mentes hagiographorum fuisse viva Dei instrumenta ad totam atque integram Scripturae compositionem, iam non opus erit dissecare ea quae tam intime apud nos natura coniunxit, ideas et verba, modum loquendi et modum concipiendi, nec tandem oportebit referre ideas ad Deum, verba vero ad hominem, destruendo in re ipsa omnem veram ac propriam hominis instrumentalitatem. Sed sine difficultate intelliges totum esse a Deo ut promovente hominem, totum quoque ab homine ut moto a Deo ».

Clarissimo modo hanc sententiam explicat *Pesch* (2) quin tamen ei adhaereat : « Itaque secundum hanc sententiam Deus totum hominem, in quantum est instrumentum ad scribendum, ita supernaturaliter elevavit et movit, ut hic determinatus liber cum omnibus suis perfectionibus et imperfectionibus oriretur ; et quia in hac elevatione et motione consistit inspiratio, eodem modo omnia inspirata dicenda sunt, quo a scriptore supernaturaliter elevato et moto prodierunt. Neque igitur dicenda sunt dogmatica inspirata, historica non inspirata, sententiae inspiratae, verba non inspirata, vel alia huiusmodi, sed, quaecumque ab hagiographo scripta sunt, ab eo ut supernaturaliter elevato et moto scripta sunt, ergo inspirata sunt. Omnis mechanica divisio pugnat cum intima illa penetratione, quae est inter actionem instrumenti et causae principalis, inter hominem virtute supernaturali instructum et agentem et Deum elevantem et moventem. Totum opus est a Deo, totum ab homine, neutro separatim operante, sed ambobus simul effectum producentibus. Sic sine materiali dictatione non res tantum, sed etiam verba a Deo inspirata sunt et Deum habent auctorem ».

(1) De inspiratione [3] 62.
(2) De inspiratione 477 sq.

CAPUT IV.

De effectu inspirationis.

1. Ex facto quod *tota* sacra Scriptura est divinitus inspirata ideoque Deum habet auctorem, necessario sequitur eam in omnibus et singulis partibus esse *verbum Dei* ac per consequens *ab omni errore immunem*; verbum enim Dei qui nec falli nec fallere potest, excludit *errorem* et *contradictionem*.

Hanc absolutam inerrantiam sacrarum Litterarum affirmabant *Patres*, qui potius quam in divinis libris admitterent errorem, confitebantur se sensum Scripturarum non intellexisse. Sic e. g. *S. Iustinus* dial. cum Tryph. 65 (PG. 6, 625) dicit: « Numquam audebo nec cogitare nec dicere Scripturam inter se pugnare; sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur et praetextum, quasi sit alteri contraria, praebeat, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intellexisse quae dicuntur ». *Eusebius Caesareensis* in Ps. 33, n. 1 (PG. 23, 289): « At ego audax temerariumque facinus arbitror esse pronuntiare confidenter divinam Scripturam lapsam esse et tale vitium proferre, ut pro viro alienigeno (Achis) sacerdos Domini (Achimelech) ponatur ». Nec minus strenue *S. Basilius de fide* 1 (PG. 31, 680), absolutam et immutabilem veritatem verbi Dei vindicat asserens illum defecisse a fide, qui quidquam de iis quae scripta sunt, reiicere, vel ipsius quidquam addere ausus fuerit (1). Idem sentiunt *Patres latini*, e quibus *S. Augustinus* ep. 82 n. 3 (PL. 33, 277) scribit: « Ego fateor

(1) Plura vide apud *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift, 21-31.

caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam »; cfr. et contra Faustum XI, 5 (PL. 42, 249) (1). Hanc doctrinam cum reverentia receperunt et retinuerunt *theologi medii aevi;* audiatur *S. Thomas* de Pot. q. 4 a. 2: « Scripturae divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei quae per eam docetur ».

2. Solummodo post medium saeculum elapsum varii autores catholici ausi sunt absolutam inerrantiam sacrarum Scripturarum negare, imprimis illi qui inspirationem divinam restrinxerunt ad doctrinas fidei et morum et res cum ipsis connexas (cfr. p. 31 sq.). Cum inspiratio necessario excludat omnem errorem, pro rebus profanis isti auctores non admittebant talem in hagiographos influxum, quo Deus sit verus auctor harum partium, res accessoriae sive non pertinentes ad substantiam sacrorum librorum, scriptae essent *permittente* Spiritu Sancto. Sed iuxta litteras encyclicas « Providentissimus Deus », in quibus evolvitur doctrina concilii Vaticani, non licet inspirationem divinam ad res fidei et morum coangustare.

Alii auctores admissa inspiratione omnium partium sacrae Scripturae distinguunt inter *inspirationem* et *revelationem* in ordine ad inerrantiam, concedunt nempe revelatione excludi quemlibet errorem, inspiratione vero non excludi errorem nisi in rebus fidei et morum; hinc colligunt posse in rebus profanis quae in sacris libris continentur, inveniri errores, quia ut plurimum hae res non fuerint revelatae a Deo, sed tantum inspiratae, cum aliunde hagiographis notae fuerint. Qua de

(1) De doctrina *S. Ioannis Chrysostomi* cfr. *Haidacher*, Die Lehre des hl. Joannes Chrysostomus über die Schriftinspiration, 43-76.

causa limitant *effectum* inspirationis, videlicet infallibilitatem, ad res fidei et morum, vel distinguunt *varios gradus* inspirationis, infimum gradum assignantes rebus profanis, accessoriis, quae ad finem sacrorum librorum nihil conferre videntur. Ita *S. de Bartolo* cfr. p. 33); *M. d'Hulst* (1) qui opinabatur infallibilitatem S. Scripturae iisdem limitibus contineri ac infallibilitatem Ecclesiae, quae se extendit ad solas res fidei et morum; *F. Girerd* (2) putat Deum per inspirationem vadem se praebere tantummodo partis religiosae doctrinalis (3).

3. Hae opiniones contrariae sunt doctrinae semper in Ecclesia retentae et a *Leone XIII* in laudatis litteris encyclicis « Providentissimus Deus » luculenter expositae: « tantum abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum Sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, Divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarium aliquid vel dissimile viderentur (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt) non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare

(1) La question biblique, Correspondant 1893 I 201-265. Auctor die 22 Decembris eiusdem anni litteris ad Sedem Apostolicam directis sententiam suam retractavit, cfr. *A. Baudrillard*, Vie de Mgr d'Hulst, Paris 1914, II 129-180. Epistolam vide apud *Brandi-Mazoyer*, La question biblique, 228 sq.

(2) L'autorité de la Bible, Annales de philosophie chrétienne 3. S. II (1904) 399-417. Evolution et progrès en exégèse, ib. 621-633.

(3) Similem fere opinionem proposuit « Un professeur de Grand Séminaire », La Bible, la science et l'histoire, Annales etc. 3. S. III (1904) 310-324; La Bible et la critique, ib. IV (1904) 53-69.

studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse ». Enchiridion Biblicum 42 n. 109 et 43 n. 111 et 112. *S. Officium* decreto « Lamentabili sane » damnavit propositionem (11): « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat ». Ibidem 68 n. 195. Eadem sententia reprobatur litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus », quibus docetur esse temerariam et falsam affirmationem inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere, sed eius effectum, atque imprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahi. « Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant, et doctrinae revelatae quasi quaedum externa divinae veritatis vestis inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Biblis occurrant, quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint » (1).

Disputatur inter theologos, utrum absoluta inerrantia S. Scripturae pertineat ad res fide divina et catholica tenendas necne. Verum est magisterium infallibile Ecclesiae hanc doctrinam nondum explicite et solemniter definivisse; attamen iuxta *concilium Vaticanum* ses. III const. dogm. de fide cath. cap. 3 fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei

(1) Enchridion biblicum 136 n. 467. Conferatur etiam epistola Emi Card. Secretarii S. Congr. S. Off. ad R. D. Moderatorem supremum Societatis Presbyterorum a Sancto Sulpitio de die 22 Decembris 1923; Ibidem 164-168, n. 510-517.

scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive *ordinario et universali magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Iamvero Ecclesia semper et ubique retinebat doctrinam sacras Litteras utpote quae divino Spiritu inspirante conscriptae Deum habeant auctorem a quovis errore esse immunes. Haec immunitas ab errore immediate et necessario fluit ex eo, quod Deus ipse, qui nec falli nec fallere potest, est auctor principalis S. Scripturae; hinc est, quod Leo XIII in laudatis litteris encyclicis tam fortiter dicat eos qui in locis authenticis librorum sacrorum errorem admittant, aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertere aut Deum ipsum erroris facere auctorem. Ideo dicendum est magisterium Ecclesiae eo ipso quod solemni iudicio definierit auctorem Sacrarum Litterarum esse Deum, etiam saltem *implicite* absolutem earumdem inerrantiam definivisse, quam de cetero Ecclesia *magisterio ordinario et universali* semper fidelibus strenue inculcavit. Ad praecipua huius ordinarii et universalis magisterii documenta pertinent litterae encyclicae: « Providentissimus Deus » et « Spiritus Paraclitus ». Unde haud absque ratione *Commissio de re biblica* in decreto de secundo adventu Domini dicit *dogma catholicum de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum* (1).

Ita sine dubio sentiebat *Doctor Angelicus* qui in Io. 13, 1 lect. 1 dicit: « *Haereticum est dicere* quod aliquid falsum non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniatur »; similiter Quodlib. XII q. 17 a. 26: « Hoc tenendum est quod quidquid in sacra Scriptura continetur verum est, alias qui contra hoc sentiret esset haereticus ».

(1) Cfr. *decretum Commissionis* pont. de re biblica de secundo adventu Domini (18 Iunii 1915) n. 2: *dogma catholicum* de inspiratione et inerratia sacrarum Scripturarem, quo onme id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto. Enchiridion Biblicum 122, n. 433.

4. Iuxta catholicum conceptum inspirationis admittenda est infallibilis veritas omnium rerum quae in sacris Litteris continentur. Neque tamen omnia *eundem veritatis gradum habent*:

a) In se ipsis et intrinsece inspirata ac per consequens divina sunt ea, quae vel ab ipso Deo sive Christo vel ab angelis vel ab hominibus inspiratis dicta esse constat; hoc colligi debet vel ex ipsius S. Scripturae explicito testimonio vel ex aliis certis signis (e. g. canticum Zachariae Luc. 1, 67 sqq., sermo S. Petri Act. 2, 14 sqq).

b) Verba ipsius hagiographi in se inspirata et divina sunt, quoties nomine Dei loquitur (1 Cor. 7, 10), vel tradit ea quae vires eius naturales excedunt et tantum divina revelatione cognosci possunt (e. g. vaticinia, mysteria fidei), vel aliquid vere et proprie affirmat vel enuntiat vel insinuat.

c) *Ratione consignationis* in libro inspirata ac proinde non intrinsecus divina et infallibilia sunt verba quae ab hominibus non inspiratis prolata sunt; haec receptione in librum inspiratum non obtinent maiorem auctoritatis gradum quam antea habuerant, unde possunt esse vera vel falsa (e. g. verba impiorum Sap. 2, 5 sqq., vel fama quam Iudas Machabaeus de Romanis audivit, I Mach. 8, 1-15) nisi vel a Deo vel ab auctore inspirato (e. g. Act. 17, 28; I Cor. 3, 19; Tit. 1, 12) approbantur. Talis approbatio etiam admittenda est quando auctor sacer lectorem ad fontem, e quo ipse hausit, remittit, e. g. I Reg. 11, 41; 14, 29; 15, 31. Hinc dicit *S. Augustinus* ad Orosium adv. Priscillianistas n. 9 (PL. 42, 676): « ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum *quid* dicatur, sed *a quo* etiam dicatur, considerandum est. In Evangeliis quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur ». Neque ex eo, quod quis in sacris Litteris

laudatur ut sanctus, colligi potest ipsum fuisse divinitus inspiratum; ita *S. Stephanus* in sermone coram synedrio habito videtur commisisse lapsum memoriae (Act. 7, 15 cfr. Gen. 23, 6 sqq. et 33, 19) [1].

d) Considerari debet et *modus* quo auctor sacer argumentum evolvit; sic e. g. liber Iob habet formam dialogi sive disputationis; in disputatione autem multa minus recta asseruntur, ut veritas in clara luce ponatur.

e) Si hagiographus proprias opiniones (e. g. Act. 20, 25), affectiones, propria dubia profert, haec sunt inspirata ratione consignationis tantum.

Ad solvendas *difficultates* nota virtutem supernaturalem hagiographis collatam fuisse, ut infallibili veritate apprehenderent ac litteris consignarent ea omnia quae Deus Ecclesiae suae scripta tradere volebat, quapropter absolute vera sunt ea quae auctores sacri sub influxu inspirationis divinae *docere* intendunt et *affirmant*. Neque enim licet distinguere inter *doctrinam* et *affirmationem* (enseigner et affirmer); quidquid auctor inspiratus qua talis affirmat, hoc docet, immo hoc ipsum docet Deus. Attamen ex eo, quod interdum nulla apparet intentio explicita sive auctoris inspirati sive Dei aliquid docendi, non sequitur in tali casu admitti posse errorem in sacro textu.

Doctrina divina traditur in sacris libris *modo humano*, nam inspiratio non tollit modum concipiendi ac dicendi hagiographo proprium; ideo auctores sacri utuntur interdum genere imperfecto loquendi suae aetatis ac gentis; cf. litt. encycl. Provid. Deus: « Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit *humano more* » [2]; sed inter *errorem* et *imperfectionem litterariam* maxima est discrepantia.

[1] Ita saltem rem explicant *Belser*, Die Apostelgeschichte, Wien 1905, 95; *Pesch*, De inspiratione 446. *Beda Venerabilis*, quem *Pesch* in hunc sensum citat, aliam habet opinionem, dicit nempe: « Verum beatus Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem ».

[2] Enchiridion Biblicum 41 n. 106.

CAPUT V.

De quaestione biblica [1].

1. Inter omnes catholicos iam constat S. Scripturam in omnibus suis partibus esse divinitus inspiratam ac propterea a quovis veri nominis errore immunem.

Difficultates tamen oriuntur, quando agitur de applicando hoc principio generali de absoluta inerrantia S. Scripturae ad notitias *scientiarum profanarum* quae traduntur in sacris Litteris. Unde orta est ea quae vocari solet *quaestio biblica* (la question biblique) nostris temporibus tantopere agitata. Ad rite determinandam relationem inter S. Scripturam et scientias profanas ante omnia prae oculis habendum est effatum *Pii IX* in litteris encyclicis de fide et ratione die 9 Novembris 1846 editis: « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte, Deo O. M. oriantur ». Veritas veritati contradicere nequit.

Liceat hoc axioma applicare ad S. Scripturam: inter *certum Scripturae sacrae sensum* ac *certas scientiarum profanarum conclusiones* nulla veri nominis oppositio haberi potest. Nota sermonem esse de *certis conclusionibus* remoto quovis dubio prudenti, non de meris hypothesibus aut opinionibus probabilibus. Haud raro enim inter revelationem et scientias profanas oritur oppositio, quia vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae in-

[1] Multa huc spectantia modo omnino paeclaro exponuntur a *P. A. Fernandez* S. I. in opere Institutiones biblicae scholis accommodatae I Romae 1925-26, 330-387.

tellecta et exposita non fuerint vel *opinionum commenta* pro rationis effatis habeantur (concil. Vatican. sess. III, const. dogm. de fide cath. c. 2). Ex altera parte requiritur, ut *sensus* a sacro auctore intentus clare percipiatur; constare debet, utrum hagiographus *sensu litterali proprio* an *sensu translato* locutus sit, utrum doctrinam religiosam illustrare voluerit imaginibus et similitudinibus depromptis e scientiis profanis, e. g. e rerum natura, nam in huiusmodi imaginibus nemo quaeret expressionem adaequatam veritatis scientificae, cfr. *S. Thom.* in II Sent. dist. 14 q. 1 a 1: « Constat tamen in Scriptura Sacra multa metaphorice tractata, quae secundum planam superficiem litterae intelligi non valeant ».

2. Ex eo quod nulla contradictio esse potest inter S. Scripturam et scientias profanas, fluunt hae praecipue regulae:

a) Quoties evidens est S. Scripturam *unico* tantum *sensu* intelligi posse, valet principium a *S. Augustino* de Gen. ad lit. I 21, n. 41 (PL. 34, 262), statutum: « quidquid ipsi (physici) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum ».

b) Quoties agitur de *conclusionibus scientiarum* profanarum certissima ratione vel experientia cognitis, perniciosum est ac maxime cavendum, ne quis opiniones ipsis contrarias proponat quasi contentas in divinis libris (*S. August. ib.* I. c. 19 n. 39, PL. 34, 261). Ad rem *S. Thomas* I q. 68 a. 1: « Cum Scriptura multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat ».

c) Ne quis denique temere asserat *opinionem* aliquam *scientificam* contradicere sacris Litteris, nam opinio quae nunc probabilitate tantum gaudet, progressu investigationis scientificae potest evadere certa conclusio. *S. August.* ib. I 18 n. 37, (PL. 34, 260) : « In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inter scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse ; cum potius eam quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus ».

d) Quodsi sententia quam interpretes putabant contineri in S. Scriptura, ulteriore investigatione scientifica demonstratur esse erronea, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia (*S. August.* l. c. I 19). Nam si locus sacrae Scripturae contradicit certae conclusioni scientiarum profanarum, aut textus corruptus est aut versio erronea aut sensus non rite perceptus ; cfr. *S. August.* ep. 82 ad Hieron. n. 3 (vide p. 50 sq).

Haec *in genere* dicenda sunt de relatione inter S. Scripturam et scientias profanas. Iam veniamus ad *singulas* scientias.

3. Quaeri potest, num auctores sacri in rebus quae spectant ad *scientias naturales*, semper obiectivam et scientificam veritatem exprimant.

Non deerant interpretes qui hoc affirmaverint, qui e. g. dixerint Moysen in scribendo opere sex dierum se exhibuisse summum geologum, physicum etc. ; hinc asserebant sex dies creationis ad amussim correspondere sex periodis formationis mundi, quas geologi et palaeontologi ex inspectis stratis terrae statuunt ; censebant aquas super quas spiritus Dei ferebatur, esse globum illum aeriformem, ex quo iuxta theoriam a *Laplace* pro-

positam per continuas rotationes formatus sit mundus etc.

Ita *Marcel de Serres* (1), *Moigno* (2), *Curier*: « Moïse nous a laissé une Cosmogonie dont l'exactitude se vérifie chaque jour d'une manière remarquable » (3); *Ampère*: « Ou Moïse avait dans les sciences une instruction aussi profonde que celle de notre siècle, ou il était inspiré » (4).

4. Nemo negabit hoc per se possibile esse. Nam ex notione inspirationis patet Deum esse auctorem principalem sacrae Scripturae. Atqui Deus, qui novit omnia secreta naturae, potuit auctores sacros supernaturaliter illustrare de quaestionibus physicis, sicut revelatio divina interdum lucem suam diffundit etiam super res quae naturali rationis lumine cognosci possunt (*S. Thomas* I q. 1 a. 1). Sed quaestio est, an de facto communicaverit hagiographis scientiam rerum physicarum quae notiones imperfectas illius temporis longe superaret. Hoc negandum esse videtur.

Licet enim in sacris Litteris non possit admitti distinctio inter partes inspiratas et non inspiratas, adest tamen discrimen inter doctrinas religiosas et res ad scientias profanas pertinentes. Cum institutio religiosa sit finis primarius S. Scripturae, res fidei et morum quae in libris sacris traduntur, directe a Deo intentae ac proinde infallibili veritate expressae sunt. Ex altera parte S. Scriptura non agit ex professo de quaestionibus scientiarum profanarum, quae proinde constituunt elementum secundarium, accessorium sacrarum Litterarum, et hoc eo magis quo minorem nexum habent cum veritatibus religiosis. Hinc sequitur non fuisse necessarium hagiographos divinitus edoceri de rebus physicis,

(1) De la cosmogonie de Moïse comparée aux faits géologiques ², Paris 1841.

(2) Les splendeurs de la foi ², Paris 1883, 210, 937.

(3) Apud *B. Colomer*, La Bible et les théories scientifiques (Science et religion 109) Paris 1901, 44.

(4) Ib. 45.

quarum in libris suis mentionem faciunt. Leo XIII suum facit dictum *S. Augustini* de Gen. ad lit. II, 9, n. 20, (PL. 34, 270) : « Spiritus Sanctus noluit ista docere homines nulli saluti profutura ». Doctor Hipponensis loquitur de quaestionibus scientificis quae non tanguntur in sacris Litteris, sicut patet ex verbis praecedentibus : « Quaeri etiam solet quae forma et figura caeli esse credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de iis rebus *quas maiore prudentia nostri auctores omiserunt* ad beatam vitam non profuturas discentibus ». Quod S. Augustinus dixit de omissionibus, Leo XIII applicat ad res in ipsa Scriptura contentas. Oportet tamen debita cum cautela adhiberi hoc principium : ex eo enim quod Spiritus Sanctus noluit docere res physicas, nondum potest colligi omnia quae de ipsis dicuntur in sacris Litteris esse falsa ; auctores sacri interdum naturali rationis lumine veram notitiam rerum sibi acquirere poterant. Sensus potius est : Deus hagiographis non concessit specialem revelationem de rebus physicis, quia hoc non erat necessarium ad finem sacrae Scripturae obtinendum. Unde dicit idem *Augustinus* act. cum Felice Man. I, 10 (PL. 42, 525) de Apostolis : « Non legitur in Evangelio Dominum dixisse : mitto vobis Paracletum qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos ». Haec verba etiam ad scriptores V. T. referri debent.

Si sacri auctores a Spiritu Sancto illuminati de quaestionibus physicis modo omnino scientifico locuti fuissent, primi lectores quibus libros suos destinabant, nihil intellexissent. *L. Janssens*, De Deo creatore, Friburgi 1905, 332 de explicatione concordistica operis sex dierum ita iudicat : « Quare, ut aliqualiter stare possit sententia periodistica, oportet ut largissimo sensu concipiatur. Secus in scientifica tam aperte offendit, ut textum sacrum nedum tueatur, peritorum derisui exponat ». Optime *S. Thomas* I, q. 68, a. 3 : « Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens illa solum

eis proposuit *quae manifeste sensui apparent*... ne rudibus quoddam ignotum proponeret »; cfr. q. 70 a 1 ad 3: « Moyses secutus est ea *quae sensibiliter apparent* ». Bene etiam *Zanecchia* (1): « Porro dum scriptores ad munus hagiographi divinitus assumpti fuerunt, homines esse minime desierunt atque ita scripserunt, ut intelligerentur ab hominibus quibus Scripturam tradebant ». Non minus clare *Van Noort* (2): « Minime necessarium fuit, hagiographos divinitus edoceri de rebus profanis, *physicis, historicis, litterariis,* quas aliqua ratione tangebant; potuerunt de iis aeque imperfecte immo false sentire ac ceteri eiusdem aetatis homines, dummodo a formali iudicio erroneo de iis in Scriptura proferendo praeservarentur ».

5. Quod attinet *solutionem difficultatum* quae ex notitiis scientiarum naturalium in sacra Scriptura traditis nasci possunt, in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » haec statuuntur: « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius Spiritum Dei qui per ipsos loquebatur, *noluisse ista* (videlicet *intimam adspectabilium rerum constitutionem*) *docere homines nulli saluti profutura;* quare eos, potius quam explorationem naturae recta prosequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut *quodam translationis modo*, aut sicut *communis sermo per ea ferebat tempora*, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur *quae cadunt sub sensus,* non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) ea secutus est quae sensibiliter apparent (I q. 70 a. 1 ad 3), seu quae Deus ipse homines alloquens ad eorum captum significavit humano more » (3).

a) Haud raro S. Scriptura loquitur de rebus phy-

(1) Scriptor sacer 85.
(2) Op. cit. 61.
(3) Enchiridion Biblicum 40 sq. n. 106.

sicis *quodam translationis modo,* i. e. utitur imaginibus et similitudinibus desumptis ex rerum natura ad illustrandas doctrinas spirituales, maxime in *libris poeticis;* cum in hoc casu unica intentio sacri auctoris fuerit, veritatem supernaturalem clarius proponere ope comparationis, iniuriam inferret sacrae Scripturae, qui in huiusmodi imaginibus quaereret perfectam veritatem scientificam. Sic e. g. Baruch 3, 34 sq. dicitur: «Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt, vocatae sunt, et dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas»; Is. 24, 23: «Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus» etc. Gravissime erraret qui ex his aliisque similibus textibus colligeret S. Scripturam docere corpora caelestia esse animata; agitur potius de sublimibus imaginibus poeticis; priore loco illustratur summa sapientia et omnipotentia Dei, cui omnes creaturae obediunt; altero dicitur tantam fore gloriam Domini regnantis in Sion, ut longe superet lucem solis et lunae.

b) Auctores sacri in describendis rebus ad scientias naturales pertinentibus saepissime *sequuntur externam rerum sensibilium apparentiam.* Omnis enim nostra cognitio incipit a *sensibus;* hinc etiam sermo noster ante omnia exprimit ea quae immediate sensibus percipiuntur. Hic sermo semper veritatem retinet, licet non absolutam, tamen relativam. Obiectum enim *formale* iudicii in hoc casu non est res, *prout est in se,* sed *prout sensibus apparet* (1). Sic sacra Scriptura vocat solem et lunam luminaria magna, dum stellae sint luminaria

(1) Cfr. litteras encyclicas «Spiritus Paraclitus»: «Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam, Leo XIII praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris adspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae». Enchiridion Biblicum 136 n. 468. Quoad doctrinam his litteris encyclicis expressam cfr. *I. Linder* S. I., Die absolute Wahrheit der hl. Schrift nach der Lehre der Encyklika Papst Benedikt's XV Spiritus Paraclitus, Zeitschr. f. kath. Theologie XLVI (1922) 254-277.

minora; loquitur de ortu et occasu solis, sicut et nos, non exceptis hominibus scientia astronomica imbutis, loqui solemus in sermone populari, immo etiam in libris scientificis, quoties non intendimus ex professo de rebus physicis agere; ab *intentione* enim loquentis vel scribentis dependet obiectum formale iudicii. Firmamentum in sacris Litteris modo describitur ut tentorium super terram expansum (Ps. 103, 2; Is. 40, 22), modo ut tectum solidum, super quod congregantur thesauri aquarum, quae apertis cataractis caeli descendunt (Gen. 1, 6; 7, 11; 8, 2; Ps. 148, 4; Iob 37, 18 [1]). Huc potest referri miraculum quod narratur in libro Iosue 10, 12-14, quod certe non ita est intelligendum, ac si sol (vel potius terra) in medio cursu steterit. Plures interpretes explicant illud miraculosa prolongatione refractionis radiorum solis [2];

[1] Imprimis lingua poetica exprimit ea quae immediate sub sensus cadunt; hinc in textibus poeticis nulla habetur difficultas. Sed quid de textibus legislativis, quid e. gr. de lepore, cuius esus vetatur in lege (Lev. 11, 6; Deut. 14, 7), quia « et ipse ruminat, sed ungulam non dividit »? Nonnulli auctores veluti *A. Schulz*, Der Hase als Wiederkäuer, Bibl. Zeitschr. IX (1911) 12-18: *A. Schmitt*, Bibel u. Naturwissenschaft (Bibl. Zeitfr. III, 7) Münster 1910, 42; *Mader* Allgemeine Einleitung [3], 34 in hoc casu admittunt verum errorem. Alii vero dicunt legislatorem secutum esse externam apparentiam, quatenus lepus habet actionem ruminationi simillimam, divisionem vero animalium mundorum et immundorum desumptam fuisse ex criterio obvio et apparenti; cfr. *Kaulen*, Katholik 1868 I 19; *Brandi-Mazoyer*, La question biblique 85-88; *Fonck*, Zeitschr. f. kath. Theol. XXXI (1907) 428; *Van Noort* op. cit. 62 not. 1; *Fernandez*, Institutiones biblicae I, 338. Paulo aliter Civiltà Catt. S. XVIII vol. VII (1902) 424: « Io veramente inclinerei a dire che l'autore del Pentateuco segue qui senza tante sottigliezze le classificazioni zoologiche in uso al suo tempo; quindi il solo fatto di usarle non lo rende garante della loro esattezza ». Simili modo antiquiores auctores theologiae moralis inter animalia aquatica, quorum caro licita esset diebus abstinentiae, recensebant etiam lutras et castores, sequentes opiniones suo temporis, quin intenderent de natura horum animalium quidquam docere.

[2] *Schenz*, Einleitung in das A. T. Regensburg 1887, 75; *Pelt*, Histoire de l'Ancien Testament I [3], Paris 1901, 379 not. 2; *M. Hetzenauer*, Theologia biblica I, Friburgi 1908, 193 sq.

alii dicunt Deum parcum in mediis adhibendis per grandinem satisfecisse desiderio Iosue (1) vel tenebras fuisse effectum grandinis (2). Exemplum sit et Hexaemeron, cuius finis est docere veritatem fundamentalem religionis, totum universum a Deo omnipotenti voluntate ex nihilo esse factum; divisio totius operis creationis in sex dies, quibus succedit dies quietis, praebet fundamentum institutionis hebdomadis et diei sabbati. Doctrina autem haec fundamentalis non ad normam exactae scientiae exprimitur, sed sermone simplici et populari ad captum primorum lectorum; unde *salvis veritatibus religiosis* in illo capite contentis magna conceditur interpretibus libertas in explicandis singulis textibus; cfr. decisionem *Commissionis biblicae* de die 30 Iunii 1909:

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico modo docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatum, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? *Negative* (3).

(1) Cfr. *A. Lesêtre*, Josué et le soleil, Revue pratique d'Apologétique II 1907, 351-356; Le surnaturel dans la Bible, ib. 1910, 892 sq.; *J. Bourlier*, L'arrêt du soleil, Revue du Clergé français XII (1897) 44 sqq.

(2) *F. Kugler* S. I., Astronomische u. metereologische Finsternisse, Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellschaft LVI (1902) 60 sqq.; cfr. etiam *Van Mierlo* S. I., Das Wunder Josues, Zeitschr. f. kath. Theol. XXXVII (1913) 835-911. Fuse de miraculo agit *Hummelauer*, Comment. in Iosue, Parisiis 1903, 237-246.

(3) Secundum Concordistas (e. g. *Kaulen*, Der bibl. Schöpfungsbericht, Freiburg 1902, 49 sq.) Gen. 1, 11 tria recensentur genera plantarum, quae in scientia botanica dicuntur acotyledona, monocotyledona, dicotyledona. Sed haec explicatio nimis redolet scientiam moderniorem. Melius vox דֶּשֶׁא sumitur ut nomen genericum: omnes plantae, quando crescere incipiunt, sunt germen tenerum,

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *yôm* (dies) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodem temporis spatio, deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat? *Affirmative.*

Quamvis hagiographi per inspirationem non receperint profundiorem et rectiorem cognitionem rerum physicarum, sed retineant opiniones illi aetati communes (1), licet imperfectas aut forte erroneas, tamen nullum commiserunt veri nominis errorem, quatenus de hisce rebus nihil docere intendebant, sed utebantur locutionibus et descriptionibus sive vulgaribus sive poeticis ad alia quaedam, quae vera sunt, asserenda (2). Hinc Deus non se accommodavit opinionibus forsitan erroneis hagiographorum, sed sermoni humano, qui de rebus naturae loquebatur secundum apparentiam, sicut et nunc loquitur, quamvis perfectiorem notitiam illarum rerum habeamus (3).

---

viride; posterius apparet distinctio specierum. Auctor modo simplicissimo duas distinguit plantarum genera: עֵשֶׂב (herba) i. e. plantas quae nudum semen producunt sicut cerealia, et עֵץ פְּרִי arbores pomiferas, quae habent semen inclusum fructibus.

(1) Sic Angelus Raphael (Tob. 6, 9) loquebatur de proprietatibus fellis piscis secundum opinionem communem, cfr. *Fonck*, Lexicon biblicum II, 270: « a veteribus salutiferum et efficax remedium in aegritudine oculorum censebatur. Angelus itaque ex communi hominum opinione loquitur, sicut comes iuvenis locutus fuisset ».

(2) Cfr. *Van Noort*, l. c. 62.

(3) Vide *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit etc. 183. Cfr. de tota quaestione *F. H. Reusch*, Bibel und Natur, Bonn 1876, 23-35; *B. Schäfer*, Bibel und Wissenschaft, Münster 1881, 145-156; *Aem. Schöpfer*, Bibel u. Wissenschaft, Brixen 1896, 20-152; *B. Colomer*, La Bible et les théories scientifiques 40-50; *N. Peters*, Bibel u. Naturwissenschaft nach den Grundsätzen der katholischen Theologie, Paderborn 1906; *L. Fonck*, Die naturwissenschaftlichen Schwierigkeiten in der Bibel, Zeitschr. f. kath. Theol. XXXI (1907) 401-432; *I. G. Hagen*, Astronomische Irrtümer in der Bibel, ib. 750-755.

6. Difficilior evadit quaestio, quando agitur de *partibus historicis* sacrorum librorum vel de *libris historicis*, praecipue Veteris Testamenti. Numquid omnia quae in ipsis narrantur, etiam facta mere profana quae nullum videntur habere nexum cum doctrina fidei, vera historicitate gaudent; sive aliis verbis: quomodo in hisce rebus potest salvari absoluta inerrantia S. Scripturae? Procul dubio pro vera historia habendum est quidquid auctor sacer tamquam in veritate gestum exhibet, nam in hoc casu ex inspiratione divina fluit infallibilis veritas rei narratae. Quaestio tamen est, an omnia quae in sacris libris narrantur, habeant indolem vere historicam.

Recentiores auctores non exceptis pluribus catholicis hoc negant, licet admittant absolutam inerrantiam S. Scripturae, dicunt tamen gradum vel speciem veritatis quae singulis sententiis vel libris S. Scripturae insit, dependere ab intentione hagiographi, quae manifestetur vel ex eius explicita declaratione vel implicite ex *genere litterario* quo utatur.

7. Theoriae de *generibus litterariis* praelusit *P. Lagrange* (1), qui tres distinguit classes librorum qui formam historiae prae se ferunt:

a) In nonnullis forma historica non est nisi *vestis litteraria*, qua utitur auctor ad efficacius inculcandam veritatem dogmaticam vel moralem; ipse fingit omnes personas et omnia facta. In hoc genere litterario sub involucro historiae quaerenda est tantum veritas religiosa, quam solam hagiographus tradere intendit forma concreta.

b) Alteram classem constituunt *libri proprie historici*, in quibus auctor sacer vera facta narrare vult; in his libris veritas obiectiva rerum narratarum semper requiritur.

(1) L'inspiration et les exigences de la critique, Revue bibl. V (1896) 510-518; vide etiam La méthode historique ², Paris 1904.

c) Inter historiam fictam ad illustrandam doctrinam et historiam proprie dictam ponitur tertia species, scilicet *historia originis*. Nullus populus antiquitatis perfectam habebat notitiam suae originis, noverat tamen quaedam facta certa, quae erant veluti nucleus historicus, qui paulatim additis narrationibus fabulosis et legendariis exornabatur. Tota haec historia ab initio oretenus tradita posterius litteris mandata fuit, atque hoc modo orti sunt *libri semihistorici*.

Alii auctores magis excoluerunt hanc theoriam de *generibus litterariis* (genres littéraires). Dicunt solummodo examinando sensum terminorum, indolem propositionum et genus litterarium librorum nos posse intentionem auctoris cognoscere, nam per hoc, quod liber inspiratus est, non mutatur genus litterarium alicuius operis neque natura propositionum (1). Porro nullum ex generibus litterariis quae in usu erant apud auctores profanos indignum est auctoribus inspiratis ideoque in sacris libris inveniri potest. Spiritus Sanctus potest inspirare fabulam, parabolam, allegoriam, fictionem historicam, apocalypsim etc. (2).

Fr. de Hummelauer S. I. (3) systematice compre-

(1) Cfr. *L. Hackspill*, L'inspiration scripturaire, Bulletin de littérature eccl. 1905, 51: « C'est seulement en étudiant le sens des termes, le caractère des propositions et le genre littéraire des livres que nous pouvons connaître la pensée et l'intention de l'auteur... Pour être inspirée une composition ne change pas de genre littéraire et une proposition ne change pas de nature ». *H. Lesêtre*, Revue pratique d'Apologétique 5 S. (1910) 896: « Il va de soi que l'inspiration n'élève en aucune manière la portée du genre littéraire auquel elle s'adjoint ».

(2) Cfr. *F. Prat* S. I., Bible et Histoire 2, Paris 1904, 30: « Aucun genre littéraire, usité chez les écrivains profanes, n'est indigne des auteurs sacrés, apologie, allégorie, fiction, ce que nous nommerions aujourd'hui roman historique ou roman de mœurs, tout cela est capable d'instruire et peut être par conséquent l'objet de l'inspiration divine ».

(3) Exegetisches zur Inspirationsfrage (Biblische Studien IX, 4) Freiburg 1904; cfr. *Crueilher*, L'inerrance de la Bible d'après les

hendit normas exegeticas a multis interpretibus catholicis recentioribus (*Holzhey, Engelkemper, Lagrange, Peters, Poels, Prat* etc.) statutas vel adoptatas. Inter genera litteraria quae in sacris Litteris occurrere possunt praeter *fabulam* et *parabolam*, quae sunt narrationes pure didacticae sine fundamento historico, licet parabolae quandoque subesse possit factum historicum, recensentur: *epos historicum*, quo factum aliquod historicum delectationis causa poetice exornatur: auctor creat novas personas, facta liberrime exponit; *historia religiosa*, cuius finis est aedificatio religiosa legentium; hinc auctor e multitudine rerum quae ipsi praesto erant, elegit materiam aptam ad aedificandum eamque tali modo proposuit, ut aedificatio religiosa efficacior evaderet; *historia antiqua* (alte Geschichte) i. e talis qualis ab auctoribus antiquis, etiam a Graecis et Romanis, scribebatur, qui sine completa et accurata investigatione factorum res gestas libere et artificioso modo exponebant; antiquis enim historia erat *ars*, dum nobis est *scientia*, sic e. g. antiqui historiographi ipsi fingebant orationes quas ponebant in ore eorum quorum gesta referebunt (Cfr. *Cicero* de leg. I, 2, 5: « Opus oratorium maxime . . . in qua et narratur ornate et regio saepe aut pugna describitur, interponuntur etiam contiones et hortationes »; *Quintilian.* Inst. X, 1, 31: « Est enim [historia] proxima poetis et quodammodo carmen solutum »); *traditio popularis* (Volkstradition), in qua nucleus historicus involutus est multis additamentis fabulosis; denique *narratio liberior*, quae potest vocari historia idealizata (histoire idealisée): genus scribendi facta quaedam historica obiective vera additis variis

---

principes du P. de Hummelauer, Revue du Clergé français XLIV (1905) 574-599; XLV (1905) 148-159; XLVI (1906) 238-251; *I. Brucker*, Bulletin d'Ecriture sainte, Etudes CII (1905) 261-266. *I. Pelt*, Revue ecclésiastique de Metz 1904, 605 vocat opiniones ab Hummelauer expositas audaces et temerarias (hardies et aventureuses). Vide etiam *Pesch*, Supplementum 27-57.

descriptionibus et animadversionibus sive *ornandi* sive *docendi* aut *illustrandi* causa, quae veritate historica non semper gaudent, ergo genus litterarium in quo historia realis cum quadam fictione miscetur ad delectandum, aedificandum, instruendum. Hoc genus narrationis solet vocari historia romantica (romanzo storico, roman historique), cuiusmodi sunt e temporibus recentioribus e. g. Fabiola et « Quo vadis ». Huc potest referri illa compositio quae apud Hebraeos vocatur *Midrasch haggadicus*, i. e. narratio biblica maxima cum libertate exposita ad inculcandam veritatem praecipue moralem (1).

Unicuique ex his generibus litterariis propria veritas competit. *Fabula*, narratio facti in rerum natura impossibilis ac per consequens pura fictio, vera est, si convenienti modo illustrat aliquam doctrinam moralem (2). Idem dicendum de *parabola*, quae exhibet narrationem facti in se possibilis aut etiam veri ad efficacius inculcandam doctrinam moralem. Veritas quae invenitur in *historia epica*, est historicitas facti principalis cum possibili veritate expositionis poeticae. In sacris Litteris non invenitur integrum epos, sed partes epicae, e. g. poetica descriptio plagarum Aegypti in libro Sapientiae (16-19) (3). *Historia religiosa* tradit facta vere historica, quin tamen omnia et singula accuratissime enarret, *imprimis in sermonibus maiorem sibi*

(1) Civiltà Catt. ser. XVIII, 9 (1903) 221: « un genere letterario di forma storica, anzi con fondamento storico, ma composto coll'intento principale d'insegnare »; *A. Durand* S. I., Inerrance biblique, Dictionnaire Apol. II 746: « Ce genre littéraire existait chez les Juifs sous le nom de midrasch, c'était quelque chose analogue à notre roman historique ».

(2) In sacris Litteris duae tantum inveniuntur fabulae (Jud. 9, 8-15; II Reg. 14, 9) quas auctor sacer tradit tamquam ab aliis dictas.

(3) Iuxta *Hummelauer*, Comment. in l. Par., Parisiis 1905, 320-329 auctor librorum Paralipomenon tractavit facta historica *libertate epica*.

concedit libertatem. In *historia antiqua*, cui deest completa exploratio omnium documentorum et fontium et methodus critica singula facta prout in fontibus inveniuntur, diiudicandi, veritas consistit in concordia narrationis cum historia obiectiva, admissa tamen quadam libertate in expositione. Ad hoc genus litterarium pertinet iuxta recentiores historia populi Israel. *Traditiones populares* (Folklore) videntur esse narrationes libri Geneseos, videlicet decem *Toledoth;* ipsa voce « Toledoth » videntur designari huiusmodi populares traditiones. Doctrinae religiosae quae continentur in factis narratis in Genesi, sunt absolute verae, e. g. divina *institutio matrimonii*. Quoties auctor inspiratus (e. g. S. Paulus), aut traditio doctrinalis Ecclesiae affirmat historicam indolem alicuius facti ibi narrati, hoc pro vere historico habendum est. *Narrationes liberiores* possunt esse libri Tobiae, Iudith, Esther (1). Secundum Hummelauer interpres debet per se vindicare veritatem cuiusvis narrationis inspiratae, sed in determinando genere litterario certa libertate gaudet. Procul dubio ex aliquo signo intrinseco vel extrinseco constare debet sacrum auctorem uti voluisse genere litterario non stricte historico. Quoties factis ab auctore inspirato narratis graves opponuntur difficultates, exegeta sedulo examinet, num forte liceat admittere genus litterarium, quod non exigat strictam et obiectivam veritatem rerum narratarum.

Si enim Deus potuit inspirare parabolas et allegorias, in quibus veritas aliqua sub fictae historiae velamine traditur, non apparet, cur non potuerit inspirare historiam, in qua aliqua veritas tradatur sub forma historiae partim verae, partim fictae? (2).

(1) Ita *P. Schanz*, Apologie 576, 582; *E. Cosquin*, Revue bibl. VIII (1899) 50-82; *A. Durand*, Revue du Clergé français XXXVIII (1902) 8; *Lagrange*, Revue bibl. V (1896) 511.

(2) Vide *H. Mazella*, Praelectiones scholasticae dogmaticae breviori cursui accommodatae, Romae 1904, 361. Easdem opiniones

8. Aliud solutionis principium desumunt ex facto, quod documenta quae hagiographus inserit libro suo sunt inspirata ratione *consignationis* tantum, non vero intrinsece vera, nisi auctor sacer ea approbet atque sua faciat. Atqui in certo casu auctor sacer ipse videtur declarare se non inquirere in accuratam veritatem historicam rerum quas enarrat, sed hanc investigationem relinquere illi cuius scripto usus sit, videlicet II Mach. 2, 28: τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες: examen criticum de singulis factis auctori (Iasoni) concedentes solliciti fuimus epitomen conficere (1). Quoties ergo hagiographus citat documenta, admittenta est *veritas citationis*, sed non semper *veritas rei citatae*. In genere concedendum erit auctorem inspiratum voluisse esse vadem veritatis factorum quae e fonte suo hausit; neque tamen hoc in quovis casu singulari certum est.

9. Recentiores, inter eos *A. Durand* (2) et *F. Prat* (3) excoluerunt theoriam de *citationibus implicitis*. Auctor sacer saepius utitur fontibus historicis, quin eos diser-

---

plus minusve tenent *F. Prat*, Progrès et tradition en Exégèse, Etudes XCIII (1902) 289-312; 610-633; cfr. Civiltà Catt. XVIII, 9 (1903) 397-413; *P. Schanz*, Zur Lehre von der Inspiration, Theol. Quartalschr. LXXVII (1895) 177-208; *Zanecchia*, Scriptor sacer 83-109; *E. Granelli*, De effectibus inspirationis, Divus Thomas 2. S. IV (1903) 479-524; *Engelkemper*, Theol. Revue III (1904) 591-601: *Bonaccorsi*, Questioni bibliche, Bologna 1904, 77-127; *H. A. Poels*, History and Inspiration, The Catholic University Bulletin XI (1905) 19-67, 152-194; *N. Peters*, Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung, Paderborn 1905 71-77; Auctor in elucubratione: Der heutige Stand der biblischen Frage in unserer Kirche, Theologie u. Glaube XVI (1924) 337-355 opiniones suas circa quaestionem biblicam ad mentem litterarum encyclicarum « Spiritus Paraclitus » reformavit.

(1) *Hummelauer* op. cit. 65-68.

(2) L'autorité de la Bible en matière d'histoire, Revue du Clergé français t. XXXIII (1902-03) 5-30.

(3) La Bible et l'histoire 49-56.

tis verbis alleget. Quodsi e. g. proponit genealogias, facta quorum non poterat esse testis, patet ipsum hausisse e fontibus. Sic e. g. auctor lib. Paralipomenon qui post exsilium scripsit, dicit II 5, 9: « fuit itaque arca ibi usque in praesentem diem », licet aetate ipsius iam non esset arca in templo; ita nimirum legebat in fonte suo quem ad verbum exscripsit (1). Iamvero fontes quos adhibebant hagiographi poterant continere errores, neque repugnat, quominus auctor sacer tales errores, dummodo fini S. Scripturae, i. e. institutioni religiosae non essent contrarii, libro suo inseruerit. Neque inde colligi potest hagiographum approbare errores aut lectores in errorem induxisse, nam primi lectores quibus liber destinatus erat, multo facilius quam nos cognoscere poterant adesse citationem e fonte. Dicunt tamen qui huic sententiae adhaerent, agi de *rebus mere secundariis*, quae non habeant nexum cum doctrina fidei et morum putantque hoc principio multas posse solvi difficultates historicas in sacris libris contentas.

10. Denique statuunt principium hagiographos etiam in rebus historicis interdum loqui iuxta *opinionem communem sui temporis*, non secundum strictam veritatem historicam, immo opinantur hanc sententiam approbari a Leone XIII in litteris encyclicis « Providentissimus Deus », qui postquam de rebus physicis dixit Spiritum Sanctum noluisse ista docere homines nulli saluti *profutura*, quare auctores sacros in describendis phaenomenis naturae sequi ea quae sensibiliter appareant (externam apparentiam) et opiniones illius temporis, pergit: « *Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri* » (2). Hinc dicunt Deum noluisse homines docere res histo-

(1) Textus hebr. habet: וַיְהִי שָׁם עַד הַיּוֹם הַזֶּה, unde S. Hieronymus supplevit vocem: « arca »; LXX vero: καὶ ἦσαν ἐκεῖ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, quod referendum est ad *vectes* arcae.

(2) Enchiridion Biblicum 41 n. 108.

ricas profanas nullum nexum habentes cum doctrina religiosa, idcirco hagiographos etiam in rebus historicis sectari opiniones illi aetati communes licet forsitan erroneas, vel uti fontibus, quin eorum veritatem attestentur (1).

11. Demum allegant auctoritatem *SS. Patrum* qui saepius affirmant auctores sacros res enarrare iuxta opinionem illius temporis. Imprimis citantur varia dicta *S. Hieronymi*, e. g. in Ier. 28, 15-17, ubi Hananias pseudopropheta vocatur « propheta » : « Sed historiae veritas et ordo servatur sicut praediximus, non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur » ; 10 sq : « quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat » (PL. 24, 855). In Mt. 14, 9 : « Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Iesu, ita nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant » (PL. 26, 98) ; Adv. Helvid. 4 (PL. 23, 197) : « In tantum, ut etiam Evangelistae, opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, (Ioseph) patrem dixerint Salvatoris » (2).

(1) *Lagrange*, La méthode historique 104: « Le Saint Père dit dans une tout petite phrase que le même critérium devait s'appliquer à l'histoire » ; *Hummelauer*, Exegetisches etc. 52-54 ; *Peters*, Die grundsätzliche Stellung etc. 48-50; *Poels*, Cath. Univ. Bull. XI (1905) 60; *Smith*, The Mouth CV (1905) 58. Attamen *P. Lagrange* posterius hanc sententiam retractavit, cfr. Revue bibl. N. S. XVI (1919) 598.

(2) *Largent*, Saint Jérôme, Paris 1898, 174 sqq.; *Lagrange*, La méthode historique 107 ; *L. Sanders* O. S. B., Études sur Saint Jérôme, Bruxelles 1903, 163: « St. Jérôme a donc cru (c'est incontestable) que les historiens sacrés ont raconté bien des faits tels que la tradition populaire les admettait, sans se préoccuper de leur authenticité ». Secundum *Poels*, Critick en Traditie of de Bijbel voor de Roomschen, Antverpen 1899, 94 S. Hieronymus admittit in

Allegant etiam terminum « *fabula* », quo S. Hieronymus utitur ad designandas narrationes biblicas, sed numquam — ita illi — in sensu verae narrationis historicae (1). Accedit *S. Augustinus* qui non dubitat admittere, Evangelistas interdum quaedam ex oblivione omisisse, ac non semper res eo ordine enarrasse quo evenerunt, sed prout illis memoria suggerebat ; sic e. g. de cons. evang. II 27 n. 60 (PL. 34, 1107) ad Mt. 11, 10 : « et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Iesu et discipulis eius », sanctus Doctor notat : « hic Matthaeeus non expressit, in cuius domo discumbebat Iesus cum publicanis et peccatoribus, unde posset videri non hoc ex ordine subiunxisse, sed quod alio tempore factum est, recordatus interposuisse ».

Haec sunt principia et argumenta quibus schola liberior (l'école large) interpretum inerrantiam S. Scripturae salvare conatur. Nostris temporibus *quaestio biblica* acuta reddita est, nam exploratio historica multa antiquitatis monumenta in lucem protulit, hinc historia Assyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum nobis

---

S. Scriptura errores materiales propter ignorantiam auctorum, non vero errores formales, quia hagiographi nolebant attestari veritatem rerum de quibus agunt. *Sanders* vero contendit hagiographos se accommodare ad opiniones falsas coaevorum suorum, op. cit. 191 : « L'inspiration n'est donc pas en faute, puisque l'écrivain raconte les faits de la sorte pour ne pas froisser l'opinion du lecteur en des choses secondaires, et pour gagner plus sûrement sa confiance par cette sage concession » ; similiter Revue bibl. N. S. II (1905) 287 : « Tout ce que nous faisons dire à St. Jérôme, c'est que, en rapportant certains faits historiques, les écrivains sacrés les insérèrent parfois avec l'une ou l'autre circonstance fausse, non par ignorance, mais pour se conformer à l'opinion populaire, basée sur la tradition orale ou écrite ».

(1) E. g. *Peters*, Theol. Revue IX (1910) 332 sq. *Van Hoonacker*, Les douze petits prophètes, Paris 1908, 322 sq. plura testimonia collegit, ubi S. Hieronymus adhibet vocem « fabula », e. g. Susannae fabula, Samsonis fabula, etc.

multo melius nota est quam erat Patribus; iam vero hac perfectiore cognitione difficultates quae inveniuntur in sacris Litteris partim remotae partim vero auctae sunt. Quaestio biblica exsistit solummodo pro catholicis et illis acatholicis qui verum conceptum inspirationis retinent; nam illi qui inspirationem negant, debent admittere S. Scripturam non maiore auctoritate gaudere quam quemlibet librum ab homine erroribus obnoxio compositum. Ex hoc ergo quod asseclae scholae liberioris diversis modis conantur solvere difficultates motas contra inerrantiam sacrarum Litterarum, patet eos firmiter tenere ipsas esse divinitus inspiratas et per consequens ab omni veri nominis errore immunes (1). Quare non licet istos auctores adnumerare rationalistis qui originem divinam S. Scripturae negant (2). Attamen dicendum est eorum conatus salvandi inerrantiam sacrorum librorum non semper esse felices.

12. Principium de *generibus litterariis* in se verum est (3), sed maxima cautione opus est in applicatione, ne ultra iustos limites extendatur (4). Quodlibet genus

(1) Sic *F. Prat*, La Bible et l'histoire 45 dicit: « Si la tradition catholique n'est pas une chimère, si le consentement unanime des Pères n'est pas un vain mot, si la constance, la perpétuité et l'universalité d'une doctrine constituent une règle de foi, il n'est pas de dogme plus solidement établi que l'inerrance de l'Écriture ».

(2) Cfr. *Pesch*, Zur Inspirationslehre, Stimmen aus M. Laach LXX (1906), 144.

(3) Cfr. *L. Murillo*, El movimento reformista y la exegesis. Razón y Fe XI (1905) 20-35; 141-158; 300-314; 421-432; Crítica y Exegesis. Observaciones sobre un nuevo sistema exegetico de la Biblia, Madrid 1905. De formis litterariis, prout a nonnullis e. g. Loisy finguntur severo modo iudicat *Billot*, De inspiratione 2, 143.

(4) *Th. Witzel*, Zur Bibelfrage, Pastor bonus XLIII (1905-06) 145-152; 193-206; 241-256; Autour de la question biblique, Etudes franciscaines XVI (1906) 241-258, 580-591, XVII (1907) 41-50; ib. p. 48 dicit: « il est très difficile de trouver des notes caractéristiques pour discerner le divers genres littéraires »; *Brucker*, Etudes CVI (1906) 112: « le principe lui-même me paraissait incontestable »; en effet, aucun exégète sérieux ne l'a ignoré et de tout temps, on a

litterarium debet esse vel in se perspicuum vel demonstratum solidis argumentis (1).

Duo in hac re vitari debent extrema, sicut optime notat *Van Noort* (2) : « alterum, ne liber aut pars libri, speciem externam historiae exhibens, propter quaslibet textus difficultates statim pronuntietur non historicus aut latiori tantum sensu historicus ; alterum, ne species litteraria, per se honesta, sed a moribus hodiernis aliena aut nostro iudicio minus digna, exinde veluti a priori a S. Scriptura excludatur ».

Idem auctor praeclare animadvertit (3) : « Contra novas sententias militat legitima praesumptio, in specie externa sensuque obvio Scripturae atque in intellectu traditionali fundata. Hinc prudenter accipi non possunt nisi congruis argumentis probantur. Porro hac in re cavendum est a quibusdam assertionibus generalibus parum fundatis ».

In hoc imprimis consistit vitium a pluribus recentioribus auctoribus commissum, quod nimia facilitate a casibus particularibus ad legem generalem concludant. Huc spectat *decisio Commissionis biblicae* die 23 Iunii 1905 edita qua sequens dubium solvitur :

« Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet S. Scripturae libros qui

---

indiqué parmi les circonstances dont il fallait tenir compte pour mesurer la portée d'une affirmation de la Bible, le genre littéraire du livre et du morceau où elle se présente » ; « le genre littéraire d'un récit nous avertit parfois clairement que nous n'avons pas à l'interpréter comme une histoire strictement réelle » ; cfr. ib. CII (1905) 262; *A. Meyenberg*, Ist die Bibel inspiriert? 50 sqq. agit contra Hummelauer qui statuit plura genera litteraria, quae in sacris Litteris frustra quaereres; cfr. et *Selbst*, Randglossen zur biblischen Frage, Katholik 1906 II 161-175; 288-300; *Fernandez*, Institutiones biblicae I 333.

(1) *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit 154-156.

(2) Op. cit. 60.

(3) Ib. 69.

pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

Resp. Negative, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo Ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere » ([1]).

Ex hac decisione colligi possunt ea quae sequuntur :

a) Quod attinet genera litteraria, non potest esse sermo de *principio universali,* quod quasi a priori in explicandis libris sacris adhiberi liceat.

b) In quolibet *casu particulari* ante omnia *sensus Ecclesiae* considerandus est. Quodsi Ecclesia semper absque haesitatione aliquem librum pro vere historico habuit, ab hac sententia non est recedendum.

c) Si vero e sensu Ecclesiae nihil certi desumi potest, *ipsa libri indoles* examinanda erit, ut inde eruatur, utrum et in quantum hagiographus habuerit intentionem tradendi veram historiam. In genere praesumendum est ipsum veram historiam scribere voluisse, unde contrarium non facile nec temere affirmandum est. Valet enim principium a *S. Augustino* (de Gen. ad litt. VIII, 7 n. 13, PL. 34, 378) propositum et a Leone XIII in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » ([2]) approbatum : « A litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere ». Talis necessitas e. g. esset absoluta impossibilitas componendi narrationem

([1]) Enchiridion Biblicum 58 n. 154.
([2]) Ibidem 36 n. 97.

biblicam cum facto historico de quo aliunde certissime constaret.

d) Admittitur tamen possibilitas, quod liber biblicus sub specie et forma historiae contineat parabolam, allegoriam, vel factum historicum docendi et aedificandi causa liberius expositum. Possunt ergo in Sancta Scriptura esse libri vel partes librorum, in quibus secundum *externam* apparentiam proponitur historia, in veritate tamen exhibetur allegoria vel parabola sub involucro facti historici. Et hoc videtur esse, quod recentiores interpretes sub *historia secundum apparentiam* intelligunt, ridiculum enim esset et absurdum asserere in sacris libris narrari historiam *secundum apparentiam* (1); potest quidem phaenomenon naturae secundum sensibilem apparentiam describi, non vero factum historicum, nisi quis sumat apparentiam in sensu omnino improprio et minime usitato, sicut *P. de Hummelauer* (2) qui asserit scientiam quam auctores sacri de rebus historicis habuerunt, fuisse scientiam secundum apparentiam, quatenus scil. semper allegant paucos fontes, qui ipsis praesto erant (scripta prophetica, annales regum) eorum narratio fit historia secundum apparentiam. *Per accidens* potest interdum aliquod factum secundum apparentiam sive prout sub sensus cadit, referri. Sic *S. Bernardus* hom. 2 super Missus est n. 10 ad verba Luc. 2, 52: « Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et

(1) Sec. *Delattre*, Autour de la question biblique 4, recentiores interpretes revera hoc admittunt: « de même ils (les écrivains sacrés) racontent l'histoire suivant les apparences ». *Schiffini*, Divinitas Scripturarum 162, hoc modo de ipsis iudicat: « Id solum differt inter methodum historicae apparentiae et methodum rationalisticam, quod rationalistae se exhibent quales sunt et aperte dicunt quod sentiunt, dum in altera methodo celatur verbis quod reipsa sustinetur. Haec itaque methodus errori mendacium addit ». Cl. auctor nimis severam sententiam fert. Dum rationalistae student Scripturam falsitatis arguere, asseclae scholae liberioris eius inerrantiam vindicare volunt, licet in adhibendis mediis non semper felices sint.

(2) Exegetisches zur Inspirationsfrage 69.

gratia apud Deum et homines » notat : « Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat intelligendum est, non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet, sed quod accedere videretur, quando volebat ipse ut videretur ».

e) Attamen a posse ad esse non valet illatio. Ideo debet in quolibet casu solidis argumentis demonstrari sub externa specie historiae exhiberi allegoriam vel narrationem liberiorem. Difficultas historica quae primo intuitu videtur esse insolubilis, nondum praebet rationem sufficientem negandi indolem historicam alicuius libri (1). Vitandum est in hac re vitium *petitionis principii*, sicut optime notat *Göttsberger* (2) : « Quod liber Iudith exhibeat narrationem fabulosam, non eruitur ex indole ipsius narrationis, sed affirmatur propter apparentes errores historicos ; quod liber Ionae sit Midraš asseritur propter miracula omnino insolita quae in ipso narrantur. Quod historia primordialis libri Geneseos adnumerari debeat generi litterario traditionis popularis, non colligitur ex eo, quod magnopere differat ab aliis narrationibus biblicis quarum historicitas ab omnibus admittitur, sed potius admittitur propter dubium, an omnia quae in ipsis narrantur, fide digna sint ». Si quis hoc modo procederet, posset veritatem historicam omnium fere librorum S. Scripturae in dubium vocare vel negare, quia in omnibus inveniuntur difficultates vel narrantur miracula.

13. Plures auctores putant *libros Tobiae*, *Iudith*, *Esther* esse compositiones didacticas ad illustrandas veritates religiosas, vel sine fundamento historico (sicut parabolae Novi Testamenti), vel cum nucleo historico ob finem didacticum variis additamentis haud historicis

(1) *I. Fontaine*, La bible, histoire ou légende ? Science catholique 1903, 1017-1041.

(2) Autour de la question biblique, Bibl. Zeitschr. III (1905) 241 sq.

exornato (1). Licet haec opinio per se nullomodo contraria sit divinae inspirationi dictorum librorum, cum ex solo facto inspirationis non solvatur quaestio de indole historica vel non historica alicuius libri, fatendum tamen est, *traditionem* quam maxime favere historicitati horum librorum, quae etiam variis argumentis ex ipsa indole librorum desumptis fulciri potest; imprimis permultis notitiis geographicis, historicis, genealogicis insinuatur hagiographos voluisse veram historiam tradere, non vero parabolam aut narrationem fictam, in parabolis enim omnes huiusmodi notitiae deesse solent, cfr. e. g. parabolam filii prodigi (Luc. 15, 11-32); ideo arbitrarium esset quodvis fundamentum historicum negare. Quapropter multi interpretes tenent istos libros esse vere historicos, quamvis concedi debeat plures difficultates quae in eis inveniuntur hactenus nondum plene esse solutas. Quamdiu explicatio historica solide defendi potest, temerarium esset recurrere ad interpretationem allegoricam. *Van Noort* (2) concedit rationes vere solidas quae suadeant in hisce libris non tradi historiam proprie dictam, non semper deesse, verum in plerisque casibus ea tantum hucusque afferri quae mensuram iudiciorum *probabilium* non excedant, immo quandoque vix attingant; hinc monet eruditos, ut patienti labore pergant effodere argumenta, quibus hypotheses suas, si fieri possit, roborent ac interim tum ipsi tum theologi a iudiciis nimis absolutis et generalibus abstineant.

14. Iuxta recentiores criticos historia biblica in libris, qui vere historici sunt non differt ab *historia an-*

(1) *A. Scholz* asseruit historiam Tobiae sicut Iudith et Esther esse prophetiam allegoricam sive apocalypsim eschatologicam in forma historica; e. g. Das Buch Judith, eine Prophezie, Würzburg 1885, Kommentar zum Buch Tobias ib. 1889, Kommentar über das Buch Esther mit seinen Zusätzen, ib. 1892; sed haec sententia arbitraria et solido fundamento carens asseclas non invenit.

(2) Op. cit. 71 sq.

tiqua i. e. ab illo genere litterario, quod erat in usu apud auctores profanos illius aetatis. Antiquis enim, ita illi, historia erat *ars,* nobis est *scientia,* hinc historiographi antiqui sunt poetae et oratores qui res gestas non simpliciter narrant, sed libere et cum arte depingunt, fingunt e. g. sermones quos ponunt in ore hominum, de quibus agunt, verbi gratia *Herodotus, Livius* etc. Idem dicendum est de historiographis sacris.

Quod attinet *methodum* i. e. collectionem et investigationem materiae et examen criticum factorum, admittenda est discrepantia inter historiam antiquorum et recentiorum, quatenus antiquis non omnia subsidia critica praesto erant ipsique maiore cum libertate res, praecipue orationes tradebant etc. Sed numquid methodus imperfecta necessario ducit ad errores in componendo libro historico committendos, aut methodus perfectior semper auctorem a quovis vel minimo lapsu immunem reddit? Auctor mere humanus etiam optima methodo utens errare potest ex ignorantia, inadvertentia, nolim addere ex opinionibus praeconceptis. Nullo modo demonstratum est historiam antiquam debere includere errores, *elementum* enim *formale* antiquae historiae erat idem omnino ac historiae recentioris, nempe *obiectiva veritas;* hinc *Cicero* de oratore, II, 15 dicit : « Quis nesciat *primam esse historiae legem,* ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatio? ». Hinc sedulo historici antiqui distinguebant inter certos eventus et narrationes fabulosas, e. g. *Titus Livius* Hist. I, 1 : « Iam primum omnium satis constat » ; « duplex inde fama est » ; I, 3 : « Haud nihil ambigam, quis enim rem tam veterem pro certo affirmet » etc.

Neque obici potest antiquos scriptores, praesertim orientales, parum fuisse scrupulosos in enarrandis factis historicis. Qpi hoc dicunt, obliviscuntur *auctorem primarium* librorum sacrorum esse *Deum,* cuius est

scriptorem humanum ab errore praeservare (1). Nam quilibet veri nominis error ab hoc commissus Deo attribui deberet: secundum litteras encyclicas « Providentissimus Deus » inspiratio divina tam necessario excludit et respuit omnem errorem, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Recentiores, licet non negent Deum omnia et singula inspirasse, tamen in explicatione sacri textus interdum videntur abstrahere ab hac veritate ac nimis insistere in origine humana sacrarum Litterarum. Quodsi affirmant Deum se accommodasse ad imperfectiones auctoris humani, quia per homines ad nos loquitur, hoc concedi potest, in quantum istae imperfectiones e. g. in modo loquendi etc. non obsunt inerrantiae S. Scripturae. Cum uterque, Deus et homo, sit auctor totius operis, error a scriptore humano commissus Deo ipsi tribui deberet, cfr. litteras encyclicas « Providentissimus Deus »: « Quare nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit ».

Semper etiam prae oculis haberi debet *finis pragmaticus* et *religiosus* auctoris sacri, qui ex historia temporum praeteritorum doctrinas morales eruit suisque coaevis proponit, unde quidquid huic fini non congruit, simpliciter omittit. Sic nemo poterit auctorem lib. Paralipomenon accusare erroris, quia silentio praeterit vitia regum (adulterium David, idololatriam Salomonis); ipse enim vult demonstrare felicitatem populi depen-

(1) Optime *P. Pesch*, Zur Inspirationslehre, Stimmen aus M. Laach LXX (1906) 295: « Freilich macht die Inspiration nicht aus einem alten Geschichtschreiber einen modernen: aber was keine Methodik und keine menschliche Vollkommenheit erreichen kann, das bewirkt der göttliche Beistand, dass nämlich der Schriftsteller absolut irrtumsunfähig wird in Bezug auf alles, was er unter dem Einfluss der Inspiration als wahr behauptet ».

dere a fideli observatione legis et cultus divini, unde tacet de factis, quae ad hanc veritatem illustrandam parum conferunt.

15. Quod attinet *historiam originis*, permulti auctores acatholici ea quae in libro Geneseos narrantur, pro meris fabulis sive narrationibus fictis habent, quamvis nonnulli concedant nucleum historicum, qui tamen vix dignosci possit; asserunt populum Israel quod attineat traditiones primordiales in nullo differre ab omnibus aliis nationibus antiquis. Haec sententia omnino reiicienda est et reprobatur etiam a melioribus auctoribus acatholicis (1). Recentiores interpretes catholici, qui tenent principia scholae liberioris non audent ex toto negare indolem historicam narrationum libri Geneseos, in specie historiae Patriarcharum; dicunt nempe eam exhibere facta vere historica, sed exornata additamentis non historicis, aucta doctrinis sub forma historica propositis. Provocant ad consuetudinem antiquorum Orientalium, qui omnia modo maxime *concreto enarrant* et usque ad minutissima depingunt, ubi nos modo magis generali loquimur; insuper apud ipsos praevalet elementum religiosum et didacticum. Quapropter in Genesi haberemus narrationes quoad substantiam historicas, quarum veritas non possit in dubium vocari, et additamenta allegorica et symbolica sub inspiratione divina adnexa ad illustrandas doctrinas religiosas et sub hoc respectu vera. Difficile sane erit discernere facta vere historica ab huiusmodi additamentis; insuper periculum est, ne ultra limites hoc principium extendatur (2).

Prima capita libri Geneseos iuxta nonnullos interpretes (3) continent mythos poeticos e tempore anti-

(1) Vide *E. König*, Neueste Prinzipien der alttestamentlichen Kritik geprüft, Gross- Lichterfelde 1902.

(2) Vide *Brucker*, L'église et la critique biblique, 189-238.

(3) *Lenormant*, Les origines d'histoire etc. 19 sqq.; *Loisy*, Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse 1901; *K.*

quissimo ab hagiographo purgatos et doctrinae monotheisticae adaptatos. Haec sententia semper ab Ecclesia repudiata fuit, sicut et explicatio pure allegorica, quam propositam ab *Origene* (1) omnes Patres refutarunt (2). Cfr. etiam *decisionem Commissionis biblicae* de die 30 Iunii 1909, n. II:

« Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu... doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias, ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

Resp. Negative ad utramque partem (3).

Holzhey, Schöpfung, Bibel u. Inspiration, Stuttgart-Wien 1902, 39 sq.: putat hexaemeron biblicum esse mythum polytheisticum ita retractatum, ut doctrinam de uno Deo creatore totius universi illustret; ex protestantibus imprimis *H. Gunkel*, Schöpfung und Chaos, Göttingen 1895; *Fr. Delitzsch*, Babel u. Bibel I [5], Leipzig 1905 etc.

(1) *A. Scholz*, Eine Hypothese über Gen. Kap. 1. 2. 4. 5, Theol. Quartalschr. LXXXIX (1907) 161-226 pure allegorice haec capita interpretatur.

(2) Cfr. *Brucker*, Questions actuelles d'Écriture sainte 154; Études CVI (1906) 851-853.

(3) Enchiridion Biblicum 99 n. 333. Cfr. *A. Eberharter*, Die Entscheidung der päpstl. Bibelkommission in ihrer Beziehung zum bibl. Schöpfungsbericht, Theol. prakt. Quartalschr. LXVIII (1905) 272-277; vide etiam *E. Minjon*, Die dogmatischen u. literarischen Grundlagen zur Erklärung des bibl. Schöpfungsberichtes, Katholik 1910, I, 161-182, 255-272, 345-363, 409-434.

Similitudo inter narrationes biblicas et traditiones aliorum populorum, imprimis Assyriorum et Babyloniorum, negari nequit, sed est similitudo mere externa, quae non debet exaggerari. Quod attinet conceptus religiosos in ipsis contentos et internam indolem factorum, historia primordialis, prout traditur in libro Geneseos, toto caelo discrepat a narrationibus antiquorum haud raro scandalosis et fabulis insulsis atque ridiculis conmixtis, unde quaelibet *dependentia directa* narrationum biblicarum a mythis babylonicis excludenda est; nexus realis, si forte adsit, provenit ex hoc, quod ex eodem fonte communi, i. e. e traditione primordiali derivantur narrationes diversorum populorum (1).

Plures interpretes in primis capitibus libri Geneseos distinguunt fundamentum historicum et ornatum poeticum et symbolicum; sic e. g. in narratione peccati protoparentum tentatio et lapsus essent vera facta — et hoc sufficeret ad fulciendum dogma peccati originalis; arbor vero scientiae esset symbolum boni spiritualis, arbor vitae imago immortalitatis, serpens symbolum principii mali (2). *Commissio* tamen *biblica* quoad facta narrata in tribus prioribus capitibus Geneseos ita respondendum decrevit:

(1) Cfr. *Vosté*, De Scripturarum veritate 15: « Etiamsi quoad unum alterumve factum materialis concederetur analogia inter narrationem biblicam et tabulas assyriacas v. gr. quoad diluvium, nullus tamen negare poterit, *primo* altissimam doctrinam dogmaticam ac moralem biblicis narrationibus subiacentem, *secundo* infinitam earumdem praestantiam religiosam relate ad tabulas assyriacas et quasvis mythologicas legendas, v. gr. quoad monotheismum et habitudinem hominis ad Deum ».

(2) Cfr. *Lagrange*, L'innocence et le péché (Gen. 2, 4-3), Revue bibl. VI (1897) 341-379. *Hummelauer*, Exegetisches etc. 31 sq. statuit principium: quoties auctor inspiratus vel traditio doctrinalis Ecclesiae asserit vel supponit indolem historicam facti in libro Geneseos narrati, de historicitate huius facti dubitari nequit, non quia narratur in Genesi, quae exhibet illud velut traditionem popularem; sed propter verbum Dei quod invenitur extra Genesim.

N. III: « Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae doctrinae fundamenta attingunt: uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius oboedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu, necnon Reparatoris futuri promissio? ».

Resp. Negative (1).

Ergo facta in his capitibus narrata una cum circumstantiis principalioribus pro historicis habenda sunt; nonnisi in explicandis minoribus adiunctis maior conceditur libertas, id est non omnia et singula sensu proprio sunt sumenda, uti patet ex eodem decreto *Commissionis biblicae*:

N. V.: « Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere nunquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? »

Resp. Negative (2).

In his ergo rebus exegetis relinquitur libertas eligendi inter diversas opiniones Patrum ac Doctorum.

16. Non licet provocare ad II Mach. 2, 29, quasi auctor illius libri diceret se relinquere Iasoni iudicium, utrum omnia quae narraverit, vera sint necne: nam

(1) Enchiridion Biblicum 99 n. 334.

(2) Ibidem 99 sq. n. 336.

textus graecus non dicit hoc quod interpretes recentiores ex ipso deducunt; verba nempe: τὸ διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες ita debent verti: singulorum accuratam expositionem historiographo (Iasoni) relinquimus, non vero epitomen facere studuimus. Quod optime explicat *Knabenbauer* (1): « Confidit itaque Iasonem... diligenter in eventus singulos inquisivisse, unde eius narrationem fide dignam certe habuit: alioquin non eam dignam iudicasset, quam suis popularibus in compendium redactam traderet » (2).

17. Aliud medium quo interpretes recentiores utuntur ad solvendas difficultates historicas in libris sacris est theoria *citationum implicitarum*. Nonnulli auctores e. g. *Billot* (3) citationes tacitas, quas auctor sacer suas non faciat omnino reiiciunt veluti vanissimum effugium ad conciliandam inerrantiam Scripturae cum materiali falsitate narrationum eius.

Pesch (4) censet paucis in locis V. T. admitti posse citationes implicitas, neque tamen pro arbitrio huiusmodi citationes statuendas esse ad removendas difficultates, sed singulis in locis ostendi oportere hanc solutionem esse saltem aeque probabilem atque alias quae dari possint, minime vero rem ita concipere licere, quasi hi-

(1) Comm. in duos libros, Mach., Parisiis 1907, 304. Ipse tamen in explicatione libri maiore cum libertate procedit applicans principium citationum implicitarum, e. g. p. 272: « Ante omnia advertendum est ipsum autorem clare et aperte profiteri se epitomen fecisse ex maiore opere Iasonis: unde si quid minus accurate narratum est, non epitomatoris culpa est ». p. 90 not. 2.

(2) Cfr. *Fonck*, Zeitschr. f. kath. Theol. XXXI (1907) 718; *Pesch*, De inspiratione 429-431.

(3) Op. cit.[2] 148 sqq.; Cfr. etiam *Schiffini*, Divinitas Scripturarum 162 sqq; *Delattre*, Autour de la question biblique 307; *Pesch*, Supplementum 23 asserit cl. *Schiffini* rem *exaggerare*, quod omnino verum est.

(4) De inspiratione 542 sq.; cfr. Supplementum 21-27. Vide, Zur Inspirationsfrage, Stimmen aus M. Laach LXX (1906) 293 sq. et cfr. *Bainvel*, De Scriptura sacra 154 sq.

storia V. T. sit congeries citationum sive explicitarum sive implicitarum. Idem sentit *Van Noort* (1) qui addit: « certe omnem mensuram excederet, qui in V. T. ita frequentes admitteret citationes non approbatas, ut exinde ipsum aedificium historiae sacrae mutaret » (2). Cui consonat *decretum Commissionis biblicae* die 13 Februarii 1905 editum:

« Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Resp. Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1° Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui » (3).

In litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus » vituperantur illi qui, sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, *nimis* facile ad citationes quas vocant implicitas vel ad narrationes specie tenus historicas confugiunt (4).

Hinc in genere admittendum erit hagiographum approbare ea quae e documento hausit, ita quidem, ut non solum habeatur veritas citationis, sed et rei citatae (5). Neque tamen theoria citationum implicitarum

(1) De fontibus revelationis 64.

(2) Cfr. et *Fernandez,* Institutiones biblicae I, 370-374.

(3) Enchiridion Biblicum 57 sq. n. 153.

(4) Ibidem 139 n. 474.

(5) Sic Moyses, si ad conficiendum suum opus adhibuit fontes, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, quas non explicite allegat, procul dubio sub divinae inspirationis afflatu quae ex eisdem hausit, approbavit et sua fecit. Idem dicendum erit de auctoribus lib. Regum et Paralipomenon.

prorsus reiicienda est, immo conceditur posse inveniri in libris sacris citationes tacitas in sensu recentiorum auctorum, sed debet in quolibet casu solidis argumentis probari auctorem sacrum *revera uti documento*, licet illud non disertis verbis alleget. Haec probatio non semper facilis erit; primi lectores vel, quia ipsis documentum allegatum notum erat vel ex aliquo signo poterant absque difficultate cognoscere citationes, ubi nobis forsitan nullum prostat medium illas dignoscendi, licet exsistentia earum admodum probabilis esse videatur. Insuper debet constare hagiographum *nullo modo suum facere documentum citatum neque affirmare veritatem rei citatae*. Haec demonstratio difficillima evadit. Hinc putat *Göttsberger* (1) per theoriam citationum explicitarum et implicitarum non posse solvi graves quaestiones in libris historicis S. Scripturae, licet in uno alterove casu difficultas removeri possit (2).

18. Iuxta plures auctores liceret principia quae valent pro scientiis naturalibus, etiam ad historiam bi-

(1) L. c. 241.

(2) Cfr. *Kölner Pastoralblatt*, XXXIX (1905) 206-209; *Meyenberg*, Ist die Bibel inspiriert? 50 sqq.; *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit etc. 191-195; *Vosté*, De Scripturarum Veritate 31-35. Citationes implicitae forsitan admitti possunt in genealogiis 1. Paralipomenon I, 1-9, quae ex tabulis publicis vel privatis exscriptae sunt. Esdr. 2 et Neh. 7 exhibetur catalogus remigrantium de exsilio, sed inter utrumque catalogum permultae notantur discrepantiae: hinc *Prat*, La Bible et l'histoire 52 not. 1 admittit auctorem sacrum hoc documentum simpliciter operi suo inseruisse, quin veritatem eius absolutam affirmaret. Nehemias tamen 7, 5 dicit se haec invenisse in libro census, habetur ergo citatio explicita. *Knabenbauer* ope huius theoriae difficultates in libris Machabaeorum contentas solvere conatur; cfr. e. g. Comment. in duos libros Mach., 59: « Ex quo fonte Iason istos numeros quos in 2 Mach. legimus hauserit, nescimus: pro plerisque popularis quaedam traditio assumi poterit, rumor quidam vagus de tot et tot millibus; auctor vero noster secundum suum consilium (2, 28, 29) accuratam rerum singularem perscrutationem reliquit hagiographo, sibi attribuit studium sequendi munus epitomes faciendi; » cfr. 272 sq. 304-306.

blicam applicare : sicut auctores sacri loquentes de rebus physicis sequebantur externam apparentiam et opiniones suae aetatis, ita etiam in libris historicis interdum se accomodabant ad opiniones et traditiones populares. Putant etiam hoc principium a Leone XIII approbatum fuisse sententia : « *Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri* » (cfr. supra p. 73).

Multi tamen interpretes [1] reprobant hanc explicationem. Et re quidem vera iuxta contextum brevis haec propositio refertur ad immediate praecedentia, ubi Summus Pontifex loquitur de defensione sacrarum Litterarum contra physicos, qui earum veritatem impugnant : « Sane, quamquam ea quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quodsi physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas » [2]. Hanc explicationem esse legitimam ostendunt ea quae immediate propositionem de qua agitur, sequuntur : « Dolendum *enim*, multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut

[1] *Fonck* op. cit. 189-191 ; *Pesch*, De inspiratione 522 sq. ; *Murillo*, El movimiento reformista y la exegesis, Razón y Fe, XI (1905) 150-153; *Brucker*, L'église et la critique biblique 58-60; *Delattre*, Autour de la question biblique 13-51 ; *Meyenberg* op. cit. 89 sqq. ; *Göttsberger* l. c. 245; *L. Hugo*, Katholische Exegese unter falscher Flagge, 75-85; *Van Noort*, op. cit. 69 sq. ; *I. Selbst*, Randglossen zur Biblischen Frage, Katholik 1907, I, 161-175; *C. Guthberlet*, Absolute oder relative Wahrheit in der hl. Schrift, Pastor bonus XXII (1909-10) 276.

[2] Enchiridion Biblicum 41 n. 107.

erroris labes in Sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet ». Quare interpres debet ostendere facta historica, de quibus certissime e documentis profanis constat, nullomodo pugnare cum narrationibus historicis sacrorum librorum. Quodsi contradictio habetur, non debet simpliciter admitti error hagiographi, sed potius inquirendum est, an forte in documentis profanis falsa tradantur: quidam enim sunt, qui libris sacris omnem auctoritatem denegent, sed monumentis et scriptis profanis libenter fidem praebeant: « Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem » (1). Quare ex verbis: « Haec ipsa » etc. minime potest colligi Leonem XIII approbasse principium hagiographos narrare historiam secundum opinionem tunc temporis communem licet forte erroneam, sed potius e contextu apparet Summum Pontificem quam maxime inculcare absolutam inerrantiam S. Scripturae etiam in rebus historicis.

Ceterum habemus nunc *authenticam interpretationem* illius propositionis tantopere controversae in litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus »: « Quodsi (decessor Noster) affirmat, ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse, quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam » (2).

19. In testimonium advocantur Patres, imprimis

(1) Ibidem 41 sq. n. 108.
(2) Ibidem 137 n. 471.

S. Hieronymus, « doctor maximus in exponendis S. Scripturis », quem putant esse praecursorem scholae liberioris. Sed optime animadvertit *Van Noort* (1) apud sanctum Doctorem inveniri quidem nonnullos textus, qui si ex mente eius haberent eam universalitatem, quam per se sumpti habere videntur, essent in favorem recentioris theoriae liberalioris, sed *integram doctrinam* S. Hieronymi et continuam eius diligentiam S. Scripturae veritatem etiam in minimis rebus salvandi non favere novae scholae. Et re quidem vera ipse acerrime defendit absolutam inerrantiam sacrarum Litterarum et multum insudat in solvendas difficultates : saepe textum allegorice interpretatur, alibi admittit errorem commissum a librario vel alio modo conatur vindicare infallibilem veritatem sacrorum librorum. Non omnes quidem solutiones ab ipso propositae felices dicendae sunt, sed hoc procul dubio demonstrant S. Hieronymum nullum admisisse errorem in sacris Litteris (2).

Textus qui in contrarium citantur, non significant id quod recentiores ex eis deducunt.

Quod attinet dicta ad Ier. 28, 15-17 de Hanania propheta et Mt. 14, 9 (adv. Helvid. 4) de S. Ioseph patre Iesu, S. Hieronymus non exhibet nisi regulam hermeneuticam de usu loquendi S. Scripturae. Auctores sacri tradunt nobis opiniones coaevorum suorum de aliquo facto historico ; *lex enim historiae* exigit, ut historiographus tradat etiam opiniones, quas vulgus de aliquo facto habet, quamvis sint erroneae, dummodo sufficienter indicet eas non esse consonas veritati. Ex Evangelio clarissime apparet S. Ioseph non fuisse in stricto sensu patrem Christi Domini, e libro Ieremiae apertissime elucet Hananiam fuisse falsum prophetam. Proinde in

(1) Op. cit. 70 sq.

(2) Cfr. *L. Schade*, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus 48-83; Der hl. Hieronymus u. das Problem der Wahrheit der hl. Schrift, Katholik 1911, I, 411-421.

his casibus nullo modo potest demonstrari iuxta S. Hieronymum auctores sacros secutos esse opiniones erroneas coaevorum suorum; nam in casibus allegatis hagiographus veritatem sciebat atque hoc sufficienti modo indicabat, ne lectores in errorem induceret. Agitur praetera non de factis, sed *appellationibus* (1). Alibi (ep. 121, 8. PL. 22, 1024) doctor Stridonensis claris verbis dicit, quae sit lex historiae: « Historia, quid factum sit, refert ». Insuper si verba: « Consuetudinis Scripturarum est etc. haberent illum sensum quem recentiores illis tribuunt, dicendum esset hagiographos habuisse *consuetudinem* sequendi opiniones sui temporis, etiam erroneas; haec porro consuetudo non afficeret tantum res accessorias, sed totam historiam biblicam, cuius veritas quam maxime nutaret. Notandum insuper S. Hieronymum quando statuit hanc regulam, nullo modo distinguere inter res dogmaticas et profanas, sicut ostendit adductum exemplum S. Ioseph, qui ex opinione populi erat pater Iesu; in hoc enim casu certe agitur de facto dogmatico (2).

Vanum omnino est tentamen S. Hieronymo attri-

(1) *Fernandez*, Institutiones biblicae I 341.

(2) Cf. *Rebbert*, Natur u. Offenbarung XVIII (1872) 438 sq.; *Delattre*, Autour de la question biblique 58-94; *Pesch*, De inspiratione 532 sq.; *Witzel*, Etudes Franciscaines XVI (1906) 580-585; cfr. Pastor bonus XVIII (1905-6) 241 sqq.; *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit 184; *O. Happel*, Theol. prakt. Monatschrift XV (1905) 277 sq.; *Merkelbach*, L'inspiration 63 not. 2: « Quant à S. Jérôme, s'il a des phrases qui, à première vue et au sens obvie, semblent favoriser la nouvelle théorie, le contexte y est moins favorable, et elle ne peut invoquer la manière générale du Père de traiter la vérité objective de l'Écriture »; *E. Dorsch* S. I., Zur Irrtumslosigkeit der biblischen Geschichte, Zeitschr. f. kath. Theol XXXVIII (1913) 699-709, qui agit contra *P. Condamin*, L'inerrance biblique d'après Saint Bède, Recherches de science religieuse IV (1913) 73-75, qui allegat *S. Bedam*, in Act. 7, 16 et 14, 21, sed hic fere transcripsit verba S. Hieronymi (in Mt. 14), sicut postea *Tostatus*; insuper privata auctoritas duorum vel trium scriptorum nihil faceret contra unanimem consensum Patrum et Ecclesiae christianae.

buere principia critica et exegetica recentiorum interpretum (1). Ipse tantopere omnem errorem excludit e sacris Litteris, ut recuset solutionem, quasi hagiographus ex oblivione vel ignorantia quidquam scripserit aut omiserit, cfr. ep. 57 (al. 101) ad Pammachium n. 7 (PL. 22, 537): « Accusent Apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico nec cum Septuaginta congruat translatoribus, et quid his maius est, erret in nomine, pro Zacharia quippe Ieremiam posuit. Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere, cui curae fuit non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere ».

Verum est S. Hieronymum pluries loqui de *fabula* Samsonis, Susannae etc.; attamen fabula quae exprimit rem passim vulgatam, apud sanctum Doctorem non significat tantum narrationem fictam, sed etiam verum *factum historicum;* hinc fabulam Susannae alibi vocat *historiam*, e. g. in Dan. 13, 58 (PL. 25, 609): « Hebraei reprobant historiam Susannae dicentes eam in Danielis volumine non haberi »; cfr. etiam ep. 68 (al. 33) ad Castrutium n. 2: (PL. 22, 652): « Et ne veteres replicando *historias* longum faciam et excedam mensuram epistolae, brevem tibi *fabulam* referam, quae infantiae meae temporibus accidit ». S. Hieronymus ibi narrat S. Antonium, cum ab Athanasio Alexandriam propter confutationem haereticorum accitus esset, Didymum caecum consolatum esse; designat ergo factum historicum nomine fabulae. Unde ex usu huius vocis non potest desumi argumentum, ac si S. Hieronymus indolem historicam narrationum biblicarum negaverit (2).

(1) Hinc Sanders vituperatur a *G. Morin* in periodico Revue d'histoire ecclésiastique V (1904) 311: « au lieu de nous donner bonnement et objectivement la doctrine de St Jérôme, D. Sanders semble dès le debut prendre avant tout à tâche de chercher dans ce Père de quoi confirmer ce que Léon XIII a bien voulu nous fixer surtout dans l'Encyclique Providentissimus ».

(2) Cfr. *E. Kalt,* Ueber fabula beim hl. Hieronymus, Katholik 1911, I, 271-287; vide etiam *Pesch,* De inspiratione 531.

Multo minus *S. Augustinus* potest invocari tamquam patronus novae scholae. Quodsi asserit Spiritum Sanctum noluisse ista docere homines nulli saluti profutura, loquitur de rebus physicis affirmans multas res ad beatam vitam non profuturas maiore prudentia ab hagiographis fuisse omissas. Iuxta ipsum S. Scriptura nullum continet errorem. Concedit quidem Evangelistas res non semper eo ordine posuisse quo evenerunt, sed prout illis memoria suggerebat, numquam tamen admittit hagiographum quandoque sequi opinionem erroneam suae aetatis, non veritatem historicam. Strenue absolutam Scripturarum veritatem defendit in nota illa controversia quam habuit cum S. Hieronymo de Petro a Paulo reprehenso (Gal. 2, 11 sqq.); cfr. ep. 28 n. 3 (PL. 33, 112): « admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur »; ep. 82, n. 3. (PL. 33, 277): « solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam » (1).

Notandum tamen, quod optime animadvertit *van Noort* (2), opiniones recentiorum non semper atque in omnibus efficaciter repelli provocando ad traditionem contrariam SS. Patrum et theologorum (interdum enim deest consensus unanimis, praeterea non semper constat, an agatur de quaestione quae ad fidem vel mores pertineat). Ubi quaestio est de rebus mere profanis, ne-

(1) Plura vide apud *E. Dorsch* S. I., Die Wahrheit der bibl. Geschichte in den Anschauungen der alten christl. Kirche, Zeitschr. f. kath. Theologie XXXI (1907) 86-101, 229-266; St. Augustinus u. Hieronymus über die Wahrheit der bibl. Geschichte, ib. XXXV (1911) 421-448; 601-664.

(2) Op. cit. 69.

cessitas fidei id unum exigit, ut inerrantia Scripturae salvetur, non ut hoc vel illo modo salvetur. Teneamus ergo cum SS. Patribus s. Scripturam in omnibus et singulis a quolibet errore esse immunem, sed non obligamur adoptare etiam modum quo Patres in singulis casibus conabantur solvere difficultates (1). Hinc si recentiores proponunt solutionem, quae solidis argumentis fulcitur et veram inerrantiam S. Scripturae salvat, non est, cur ipsi praeferamus opiniones Patrum.

20. Perperam agunt illi recentiores qui inspirationem divinam ad solas res fidei et morum limitant, vel quamvis admittant totam S. Scripturam esse divinitus inspiratam, rem ita explicant, ut res profanas in sacris Litteris contentas ab efficaci influxu inspirationis eximant, ita quidem ut in hisce rebus auctores sacri errare potuerint; hi enim aut genuinam inspirationis notionem pervertunt aut Deum, summam veritatem, erroris faciunt auctorem.

Negari nequit adesse difficultates in libris sacris, praecipue in libris historicis V. T., ante omnia in libris Tobiae, Iudith et Esther; quae quidem difficultates variis modis solvi possunt; quodsi huiusmodi solutiones vera probabilitate gaudent, indoles historica istorum librorum non potest simpliciter negari. Verum etiam est nondum omnes difficultates sufficienti modo solutas esse; numquid propter hoc errores in libris sacris admitti debent? Minime. Forsitan ulterioribus indagationibus et investigationibus scientificis difficultates quae adhuc debita solutione carent, removeri possunt. Quis iam audebit dicere S. Lucam qui loquitur de Lysania Abilinae tetrarcha (3, 1), errasse, postquam reperta est in loco ubi sita erat antiqua civitas Abila, inscriptio, in qua mentio fit Lysaniae tetrarchae? Quis paucis abhinc annis

(1) Sic e. g. notiones Patrum de rebus physicis erant valde imperfectae; vide *A. I. Letronne*, Des opinions cosmographiques des Pères de l'Eglise, Revue des deux Mondes I (1885) 601 sqq.

credidisset in insula Elephantine, ergo in Aegypto superiore, in lucem proditura fore documenta aramaica, quibus confirmaretur historia in libris Esdrae et Nehemiae narrata? Ex his aliisque factis apparet temerarium esse sacros auctores erroris arguere.

Teneamus ergo doctrinam Ecclesiae de absoluta inerrantia s. Scripturarum Hieronymi ceterorumque Patrum auctoritate comprobatam et in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » et « Spiritus Paraclitus » lucidissime expositam.

Appendiculus de doctrina Protestantium et Modernistarum (1).

Antiquiores Protestantes admittebant inspirationem sacrarum Scripturarum, immo eam exaggerabant; sic e. g. duo *Buxtorfii* (saec. 17) influxum eius ad signa vocalium et accentus extendebant; *Gisbertus Voetius* († 1676) ausus est asserere: Ne unum quidem verbulum in Scriptura invenitur quod non sit revelatum, ne excepta quidem interpunctione. Cum *Richardus Simon* artem criticam sacris Litteris admovere coepisset, non solum auctores catholici, sed etiam protestantes eum impugnabant; imprimis *Io. G. Carpzov*, qui in Critica sacra Veteris Testamenti (2) haec enumerat momenta inspirationis:

1) nihil hic tribuendum esse hominibus, praeter operam solum ministerialem, qua illapsum divinum percipientes, prompte ac alacriter mentem manumque Deo commodarent, qui utramque pro libitu suo ageret, moveret ac dirigeret;

2) ad unum solumque Deum, quicquid est Scrip-

(1) Cfr. *Pesch*, De inspiratione 202-264; Die Inspiration der hl. Schrift nach der Lehre der heutigen Protestanten, Zeitschr. f. kath. Theologie XXV (1901) 452-471, 594-620; XXVI (1902) 81-106.

(2) 2. ed. Lipsiae 1748, 43 sq.

turae S. tamquam ad causam principem, referri debere, ita quidem, ut non modo mysteria scripta, inde divina, sed ipsa quoque γραφή (tam scribendi actio transiens, quam eius ecectus, voces, apices ac litterae) θεόπνευστος esset, ac ἱερὰ γράμματα prodirent.

Qui et agit contra *Baruch Spinoza* († 1677) qui revelationem et miracula negavit ac docebat Scripturam ex semetipsa explicari debere.

Deismus quem *Herbertus de Cherbury* Anglus († 1698) primus omnium aperte promulgavit, admittit religionem pure naturalem, i. e. veritates religiosas quas solo rationis lumine percipere possumus. Qui in Germaniam introductus paulatim supplantavit doctrinam antiquorum Protestantium atque in purum *rationalismum* excrevit. *Salomon Semler* († 1782) excogitavit theoriam *accommodationis* docens in Scriptura distinguendum esse inter ea quae sunt verbum Dei, et opiniones Iudaeorum, quibus Christus et Apostoli se accommodaverint. Praecipuus propugnator rationalismi biblici evasit *Lessing*, qui a. 1777 et 1778 edidit *fragmenta Guelferbytana* (die Wolfenbüttler Fragmente), opus a *Sal. Reimaro* († 1768) exaratum sub titulo: Schutzschrift für die vernünftigen Verehrer Gottes, in quo Moyses dicitur fuisse impostor, negantur miracula et vaticinia, Iesus describitur ut agitator politicus, qui ut finem suum obtineret, ne a fraudibus quidem abhorrebat. Haec impia commenta, licet a multis impugnarentur, armis tamen inefficacibus, nam adversarii Reimari et ipsi erant rationalismo dediti, magis magisque diffundebantur. Multum ad hanc diffusionem contulit *I. G. Herder*, qui eleganti sermone scribens S. Scripturam magis iuxta normas criticae aestheticae diiudicabat. *H. G. Paulus* († 1851), *F. E. Schleiermacher* († 1834) multique alii scriptis et viva voce ideas rationalisticas propagabant. Sic S. Scriptura paulatim indole sua supernaturali privata ex verbo Dei facta est opus mere huma-

num imperfectionibus et erroribus obnoxium sicut quodlibet opus ab hominibus confectum (1).

Recentiores Protestantes ad summum admittunt inspirationem quandam naturalem, poeticam, sicut antiqui auctores classici loquebantur de furore poetico. Unde non desunt qui audeant dicere etiam opera poetarum et philosophorum Germaniae esse revelationes Dei. *Kier* (2) asserit S. Scripturam, quamvis non sit liber inspiratus, manere tamen documentum historiae salutis, monumentum revelationis Dei. Non placuisse Deo, ut testes eius absque errore loquerentur et scriberent. *E. Haupt* (3) docet auctoritatem Scripturae non dependere a decisionibus dogmaticis de eius inerrantia, sed ex eius efficacia excitandi fidem religiosam. Unusquisque in semetipso experiri debet, an aliquod eloquium Scripturae sit verbum Dei.

G. P. Mains (4) censet Scripturam locum eminentem obtinere inter opera litteraria humana neque tamen esse aliud quam librum humanum, cum non sit inspirata neque revelationem absque errore contineat etc.

Plures tamen retinent doctrinam de inspiratione librorum sacrorum, e. g. *C. H. Scharling* (5), qui tamen requirit et inspirationem eorum qui sacras Litteras legunt, fere iuxta sententiam *Carpzovii* (6) asserentis semper cum verbo in Scriptura coniunctum esse Spiritum Sanctum, ita quidem, ut etiam nunc per illam Deus adspiret et afflet lectorem vel auditorem, quoties rite

(1) Multa huc spectantia invenies apud *L. Cl. Fillion*, Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les Evangiles, Paris 1911.

(2) Bedarf es einer besonderen Inspirationslehre? Kiel 1891.

(3) Die Bedeutung der hl. Schrift für den evangelischen Christen, Bielefeld-Leipzig 1891.

(4) Divine inspiration, New York 1915.

(5) Offenbarung und hl. Schrift vertit *G. Johanns*, Leipzig 1907.

(6) Op. cit. 44.

legatur vel audiatur. Ita et *F. Watson* (1) firmiter credit Scripturam esse inspiratam, licet haec inspiratio demonstrari nequeat; immo *Dienemann* (2) admittit inspirationem verbalem, quam tamen explicat ad modum inspirationis realis excludentis quemlibet errorem.

Modernistae vel negant inspirationem sicut *Loisy* qui dicit (3): « Dieu est l'auteur de la Bible, comme il est l'architecte de Saint-Pierre de Rome et de Notre-Dame de Paris », vel si eam retinent, eius notionem omnino pervertunt; cfr. litteras encyclicas « Pascendi dominici gregis » de die 7 Sept. 1907, ubi modernistarum doctrina paucis verbis ita exhibetur: « In hisce Libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, ut fert theologia modernistarum, per immanentiam solummodo et permanentiam vitalem. Quaeremus, quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis Sacrorum Librorum » (4). Cfr. sententias damnatas decreto « Lamentabili sane »: 10: « Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo consistit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt; 12: Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari, quam cetera documenta mere humana » (5).

(1) Inspiration, London 1908.

(2) Die Verbalinspiration, Evangel. Kirchenzeitung LXXXI (1907) n. 31-33.

(3) Simples réflexions sur le décret du S. Office Lamentabili sane exitu et sur l'Encyclique Pascendi, 1908, 42 sqq.

(4) Enchiridion Biblicum 80 n. 264 et 265.

(5) Ibidem 68 n. 194 et 196.

PROLEGOMENA

1. De notione et divisione Hermeneuticae.

Hermeneutica (ἑρμηνευτική scil. τέχνη vel ἐπιστήμη, a voce ἑρμηνεύειν = interpretari) (1) in genere est ars et scientia recte interpretandi sive disciplina tradens regulas, quarum ope verus sensus alicuius sermonis sive operis erui potest. Est *ars*, quatenus complectitur regulas, iuxta quas indagatio sensus fieri debet, *scientia* et haec quidem theoretica quatenus indicat rationem, ex qua illae regulae fluunt, practica vero, quatenus ostendit, quomodo regulae universales ad casus particulares applicari possint.

Hermeneutica biblica sive *sacra* in specie est disciplina docens, quomodo verus S. Scripturae sensus eruatur et exponatur. Hermeneutica potius theoretice de explicatione sacrarum Litterarum agit; practica applicatio regularum hermeneuticarum vocari solet *exegesis* (ἐξήγησις a verbo ἐξηγεῖσθαι = enarrare, explicare, edocere) (2).

Duplex est munus hermeneuticae biblicae, videlicet verum sensum sacrarum Litterarum *investigare*, et sensum inventum apte *proponere*; ita *S. Augustinus* de doctr. christ. I, 1 (PL. 34, 19): « Duae res sunt quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi

(1) ἑρμηνεύς sive ἑρμηνευτής = praeco, interpres (linguae alienae); Ἑρμῆς est interpres consiliorum divinorum, nuntius deorum, deus praeconum et eloquentiae (cfr. Act. 14, 12); Marcus vocatur ἑρμηνευτής Petri.

(2) ἐξηγητής = interpres signorum, oraculorum.

quae intelligenda sunt et modus proferendi quae intellecta sunt ». Hinc hermeneutica in tres solet dividi partes, quae sunt : 1) *Noematica* (νόημα = mens, cogitatio) i. e. theoria sensus, in qua agitur de diversis sensibus S. Scripturae.

2) *Heuristica* (a verbo (εὑρίσκειν = invenire) i. e. investigatio sensus.

3) *Prophoristica* (a verbo προφέρειν = proferre) i. e. propositio sensus inventi.

2. De utilitate et necessitate hermeneuticae biblicae.

Hermeneuticam biblicam admodum utilem, immo necessariam esse ad intelligentiam sacrarum Scripturarum, apparet ex ipsa indole sacrarum Litterarum, in quibus haud pauca obscura ac difficilia intellectu continentur (1). Obscuritates et difficultates oriuntur ex eo, quod Scripturae sacrae exaratae fuerunt linguis, quae iam a multis saeculis emortuae sunt, temporibus et locis a nostris quam maxime diversis, ab auctoribus et pro lectoribus, qui aliam omnino educationem aliumque cogitandi modum habebant ; multa praeterea quae in sacris libris traduntur, videlicet mysteria fidei, rationem humanam longe superant, prophetiae semper aliquid obscuri habent. Hinc sine debita praeparatione nemo ad studium sacrarum Scripturarum accedat. Optime *S. Hieronymus* ep. 53 ad Paulinum n. 5-7 (PL. 22, 543 sq.) : « Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur : quem si dederis homini scienti litteras, ut legat, respondebit tibi : Non possum, signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, et tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavem David... In Actibus Apostolorum

(1) II Petr. 3, 16 de epistolis S. Pauli dicitur: « in quibus sunt quaedam difficilia intellectu ».

sanctus eunuchus... cum legeret Isaiam, interrogatus a Philippo: Putasne intelligis, quae legis? respondit: Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit?... tantus amator legis divinaeque scientiae fuit, ut etiam in vehiculo sacras Litteras legeret; et tamen, cum librum teneret et verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! Eadem hora credit eunuchus, baptizatur etc... Haec a me breviter perstricta sunt, ut intelligeres te in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi... Agricolae, cementarii... et ceteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant etc. ».

Porro studium sacrarum Scripturarum utpote fundamentum scientiae theologicae summi momenti est pro sacerdotibus, qui sunt magistri et pastores populi fidelis. Hinc *S. Hieronymus* ep. 52, n. 7 (PL. 22, 533), monet Nepotianum: « Divinas Scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ». *Concilium Lateranense IV* (1215) sacerdotibus et clericis praescripsit studium sacrarum Litterarum; idem fecit concilium *Tridentinum* (sess. V, cap. 1 de reform.) addens rationem: « ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat » (1). Demum *Leo XIII* in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » dicit: « Optamus et cupimus... ut illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem (i. e. divinis Litteris) legendis, meditandis, explanandis, quod acquis-

(1) Enchiridion Biblicum 17 n. 50.

simum est, impendant » (1); cfr. etiam quae in litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus » de studio Scripturarum dicuntur.

3. De historia hermeneuticae biblicae (2).

In Novo Testamento inveniuntur prima rudimenta hermeneuticae applicatae sive practicae expositionis sacrarum Scripturarum: Christus explicat sensum parabolarum; S. Paulus arguit e testimoniis V. T., quae exponit (e. g. Gal. 4, 22-31; Ephes. 4, 8-10). De opere *Melitonis Sardensis* (saec. 2°) inscripto κλεῖς (=clavis, *Euseb.* hist. eccl. IV, 26, PG. 20, 392) nonnisi titulus conservatus est. Plura quae spectant ad interpretationem sacrarum Litterarum occurrunt in operibus *Clementis Alexandrini* et *Origenis*, in scriptis *S. Hieronymi*, praecipue in epistola (57) ad Pammachium de optimo genere interpretandi (PL. 22, 568-579). *Diodorus Tarsensis* († c. 394) edidit libellum nunc deperditum de differentia inter theoriam et allegoriam. *S. Augustinus* exaravit opus hermeneuticum, cui titulus de doctrina christiana ll. IV (PL. 34, 15-122), in quo tradit rationem interpretandi Scripturas recensens regulas septem ad investigandam et inveniendam intelligentiam Scripturarum a *Tychonio* Donatista propositas.

Adrianus monachus (c. 450) hermeneuticam biblicam tradidit in libello εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς (PG. 98, 1273-1312); eodem fere tempore *Eucherius Lugdunensis* evulgavit duo opuscula hermeneutica: Formularum spiritualis intelligentiae liber unus, Instructio ad Salonium filium libri duo (PL. 50, 727-822). *Iunilius Africanus* († 560) quaestor in aula Iustiniani imperatoris, composuit Instituta regularia divinae legis

(1) Ibidem 24 n. 68.

(2) Plura invenies infra in historia exegeseos.

(PL. 68, 15-42); in altera parte huius operis proponit regulas interpretationis S. Scripturae, quae vigebant in schola Edessena. *Cassiodorius* († 570), qui in institutionibus divinarum litterarum (PL. 70, 1105-1150) tractat potius de historia litteraria interpretum sacrae Scripturae quam de legibus hermeneuticis, nominat Iunilium inter introductores Scripturae divinae.

Medio aevo *Hugo a S. Victore* († 1141) in Eruditione didascalica l. V et VI (PL. 176, 789-809) exponit doctrinam de triplici sensu S. Scripturae. De eodem argumento *S. Thomas* pauca tradit in Summa Theologica I, q. 1 a. 10 et *S. Bonaventura* in prooemio Breviloquii. *Ioannes Gerson* († 1429) evulgavit Propositiones de sensu litterali Scripturae sacrae. Mentione digni sunt *Santes Pagnini* O. Pr. (1541), Isagoges seu introductionis in sacras Litteras liber unus, Lugduni 1528, Isagoges ad mysticos S. Scripturae sensus libri 18, Coloniae 1543. *Sixtus Senensis* O. Pr. († 1569), Bibliotheca sancta, Venetiis 1566: liber tertius agit de arte interpretandi sacrosancta volumina; *Ambrosius Catharinus* O. Pr. († 1543), Claves duae ad aperiendas intelligendasque s. Scripturas, Lugduni Bat. 1548; *Guilelmus Lindanus* († 1585), De optimo sacras Scripturas interpretandi genere, Coloniae 1558.

Post concilium Tridentinum hermeneuticae biblicae operam dederunt: *Ios. Acosta* S. I. († 1599), De vera Scripturas interpretandi ratione, in opere: De Christo revelato, Romae 1590; *Basilius Poncius* O. S. Aug. († 1629), Quaestiones expositivae, Salmanticae 1611 (*Migne*, Cursus completus I, 819-906); *Antonius a Matre Dei* O. Carm. († 1641), Praeludia isagogica ad s. Bibliorum intelligentiam, Lugduni 1669; Moguntiae 1670; *I. Metzger* O. S. B. († 1683), Institutiones S. Scripturae seu principia, regulae et instructiones de modo recte intelligendi et interpretandi S. Scripturam, Salisburgi 1681; *I. B. Hamel* († 1706), Institutiones biblicae, Parisiis 1698; *I. Martianay* O. S. B. († 1717), Traité mé-

thodique ou manière d'expliquer l'Ecriture, Paris 1703; *I. I. Duguet* († 1733), Règles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte, Paris 1716; *B. Lamy* Congr. Or. († 1715), Apparatus biblicus, Lugduni 1723; *I. I. Monsperger* S. I. († 1788), Institutiones hermeneuticae V. T., Vindobonae 1776; *St. Hayd* O. S. B. († 1802), Introductio hermeneutica in sacros N. T. libros, Vindobonae 1777; *Greg. Mayer* O. S. B. († 1820), Institutio interpretis sacri, Vindob. 1789; *I. Gerhauser* († 1825), Theoria hermeneuticae sacrae, Dilingae 1811. Enchiridion hermeneuticae generalis *Iohannis Jahn* († 1816), Vindob. 1812, in indicem librorum prohibitorum relatum est, sicut et Hermeneutica biblica *Altmanni Arigler* O. S. B. († 1846), ib. 1813, qui sensum mysticum non admittit et vaticinia messianica ad meras accommodationes reducit. *C. Unterkirchner* († 1836), Hermeneutica biblica generalis, Oeniponte 1831, 1848 [3]; correxit opus praedicti *Arigler; G. Riegler* († 1847), Biblische Hermeneutik, Augsburg 1835 et 1847; *V. Reichel*, Introductio in hermeneuticam biblicam, Vindob. 1839; *A. Schmitter*, Grundlinien der bibl. Hermeneutik, Regensburg 1844; *I. Kohlgruber*, Hermeneutica biblica generalis, Vindob. 1850; *F. Patrizi*, S. I. († 1881), De interpretatione Scripturarum sacrarum libri duo, Romae 1844; 1876 [3]; *G. I. Güntner* O. Praem. († 1867), Hermeneutica biblica generalis iuxta principia catholica, Pragae 1848, 1863 [3]; *C. G. Wilke* († 1854), Bibl. Hermeneutik nach kathol. Grundsätzen, Würzburg 1853; *I. Dankó* († 1895), De s. Scriptura eiusque interpretatione, Vindob. 1857; *F. Reithmayr*, († 1872), Lehrbuch der bibl. Hermeneutik ed. *Thalhofer*, Kempten 1874; *I. Pánek*, Hermeneutica biblica, Olomucii 1884; *L. A. Schneedorfer* O. Cist., Synopsis hermeneuticae biblicae, Pragae 1885, 1901 [2]; *U. Ubaldi* († 1884), Introd. in S. Script., Romae 1891 [4] III, 1-511; *R. Cornely* S. I. († 1910), Introductio in Utriusque Testamenti libros, Parisiis 1894 [2], I, 535-763; *I. Lesar*, Compendium hermeneuticum, Labaci 1891; *V. Zapletal*

O. Pr., Hermeneutica biblica, Friburgi Helv. 1897; 1908 [2]; *I. Mader*, Kompendium d. bibl. Hermeneutik, Paderborn 1898; *St. Székely*, Hermeneutica biblica generalis secundum principia catholica, Friburgi Br. 1902; *A. Müller* O. S. B. († 1906), Hermeneutica sacra, Romae 1902; *M. Hetzenauer* O. M. Cap. († 1928), Epitome exegeticae biblicae catholicae, Oeniponte 1903; *I. H. Janssens*, († 1853) Hermeneutica sacra seu Introductio in omnes libros sacros U. T. Taurini 1908 [8]; ed. 25 taurin. cur. *E. Morandi* 1920; E. *Grivnácky O. S. B.*, Hermeneutica biblica, Brunae 1911; *Fr. Hilber*, Bibl. Hermeneutik, [2] Brixen 1912, 1921 [3]; *I Döller* († 1928), Compendium hermeneuticae biblicae [3] Paderbornae 1914; *G. Hoberg*, Katechismus der bibl. Hermeneutik, Freiburg 1914; 1922 [2-3]; *F. M. de Castro*, Introductio generalis in S. Scripturam, Vallisoleti 1922, 321-436; *F. X. Kortleitner* O. Praem., Hermeneutica biblica. Oeniponte 1923; *I. B. Girardi*, Elementa hermeneuticae biblicae scholis theologicis accommodatae, Patavii 1923; *A. Fernandez* S. I., Hermeneutica, in op. Institutiones biblicae I, 293-429.

I. Noematica.

De sensibus Sacrae Scripturae.

Ante omnia apprime distinguendum est inter *significationem* vocis et eius *sensum*.

Significatio est notio quae voci independenter a contexta oratione et circumstantiis in quibus usurpatur subest. Plerumque eadem vox plures admittit significationes quae e lexicis eruuntur, e. g. ἡλικία = aetas, statura; πνεῦμα = halitus, ventus, spiritus, anima; via = semita, ratio vivendi, lex.

Sensus vero intelligitur conceptus mentis, veritas sive series notionum integris sententiis et propositio-

nibus a loquente vel scribente expressa. Sicut e conceptu inspirationis elucet, auctor primarius S. Scripturae est Deus, auctor secundarius hagiographus divinitus inspiratus. Hinc sensus S. Scripturae est veritas quam Deus, primarius sacrarum Litterarum auctor, verbis hagiographi exprimere intendit.

Duplex distinguitur sensus S. Scripturae, *litteralis* et *spiritualis*. Sensus *litteralis* est ille qui immediate verbis sacri auctoris exprimitur; sensus *spiritualis* habetur, quando res vel facta verbis expressa aliquid significant sive veritatem altiorem adumbrant. Optime rem explicat *S. Thomas* S. Th. I, q. 1 a 10: « Auctor Sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam ipsas res. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia (scil. revelata), quod ipsae res significatae per voces etiam significent aliquid. Illa vero significatio qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus *spiritualis*, qui super litteralem fundatur et eum supponit ».

Haec distinctio inter duplicem S. Scripturae sensum fundamentum habet in ipsis sacris Litteris. Christus enim et Apostoli passim affirmant in Vetere Testamento res et veritates Novi Foederis fuisse praefiguratas; sic serpens aeneus est figura Christi in cruce exaltati (Io. 3, 14), Ionas in ventre ceti praefigurat quietem Christi in sepulcro eiusque resurrectionem (Mt. 12, 39 sq.), iuxta S. Paulum Agar et Sara adumbrant duo Testamenta (Gal 4, 22-31), immo totum Vetus Testamentum umbra (σκιά) est futurorum (Col. 2, 17).

Hinc omnes Patres duplicem in s. Litteris sensum admittunt. Sic e. g. *S. Hieronymus* prol. comm. in Is. (PL. 24, 21) monet: « Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia »; *S. Augustinus* de doctr. chr. I, 2, n. 2 (PL. 34, 20) loquitur de rebus « quae

ad significandum aliquid adhibentur — hae namque ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum »; *S. Io. Chrysostomus* in Ps. 46, 1 (PG. 55, 209) dicit: « Alia accipienda sunt dupliciter, ut et sensibilia intelligamus et spiritualia capiamus, quemadmodum in anagogia filii Abraham. Filium enim oblatum esse scimus, et aliud quid absconditum intellectu excerpimus per filium, crucem ».

1. *De sensu litterali.*

Sensus litteralis est ille, quï ab auctore S. Scripturae primarie intentus est et verbis eius per se inest, unde ab interprete invenitur adhibitis regulis sanae explicationis; vocatur etiam sensus *grammaticalis*, quia eruitur ope regularum grammaticae et usus loquendi, sensus *logicus*, quatenus e contextu orationis iuxta leges logicas deducitur, vel sensus *historicus* [1]; apud Graecos: κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὸ ῥητόν, κατά τὴν ἱστορίαν. Hic porro sensus est vel *explicitus* sive directe verbis espressus, e. g. Gen. 12, 2: « faciam te in gentem magnam et benedicam tibi », vel *implicitus*, i. e. termino generali comprehensus, e. g. Gen. 22,18: « et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae »; semen est terminus generalis, quo designantur omnes posteri Abrahae ideoque etiam Christus, qui et ipse ortus est ex semine Abrahae; in verbo « Pater noster » (Mt. 6, 9) virtualiter continetur veritas nos esse filios Dei. Ad sensum implicitum partim etiam *sensus consequens*, qui ope simplicis ratiocinii e verbis S. Scripturae deducitur, trahi potest, de quo infra.

[1] *Hugo a S. Victore*, de scripturis et scriptoribus sacris c. 3 (PL. 175, 11 sq.): « dicitur *historicus* sensus qui primo loco ex significatione verborum habetur ut res »; *S. Thomas* Quodlib. VII a 15: « Manifestatio, quae est per verba facit sensum historicum vel litteralem; unde totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur ».

Praeterea sensus litteralis dividitur in *proprium* et *improprium*. Sensus litteralis dicitur *proprius*, si verba sumuntur in significatione etymologica vel grammaticali vel usuali. Interdum iste est unicus sensus a Spiritu Sancto directe et exclusive intentus, e. g.: « In principio creavit Deus caelum et terram » (Gen. 1, 1); « Ecce virgo concipiet et pariet filium » (Is. 7, 14); « Ego et Pater unum sumus » (Io. 10, 30); « Diliges Dominum Deum tuum etc. » (Deut. 6, 5).

Sensus est *improprius*, si vocabula sumuntur in significatione translata vel figurata. Orientales enim viva imaginatione praediti quam maxime delectantur similitudinibus et imaginibus; hinc dicit *S. Augustinus* de doctr. chr. III, 29, n. 40 (PL. 34, 80): « Sciant autem litterati nostri modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine *tropos* vocant, auctores nostros usos fuisse et multiplicius atque copiosius quam possunt existimare vel credere, qui nesciunt eos et in aliis ista didicerunt ».

Paucis verbis *S. Thomas* in Gal. c. IV, l. 7 distinctionem inter sensum litteralem proprium et improprium proponit: « Per litteralem sensum potest aliquid significari dupliciter, scilicet secundum *proprietatem locutionis*, sicut cum dico: homo ridet, vel secundum *similitudinem*, sicut cum dico: pratum ridet. Utroque modo utimur in Scriptura »; cfr. I II q. 102, a. 2 ad 1: « Intellectus metaphoricae locutionis in Scripturis est litteralis, quia verba ad hoc proferuntur, ut hoc significent ».

Sensus improprius respicit vel *singula vocabula* vel se extendit ad *integram sententiam* vel sermonem. Si sensus improprius inest *vocabulis*, habetur:

1) *Synecdoche*, quae ponit totum pro parte, genus pro specie, abstractum pro concreto vel viceversa. *Cicero*, De orat. III, 42: « Cum intelligi volumus aliquid aut ex parte totum, ut pro aedificiis cum parietes aut tecta dicimus aut ex toto partem ». E. g. Ps. 64, 3: « ad te omnis caro veniet », caro ponitur pro homine; Gen. 22,

17 : « possidebit semen tuum portam (שַׁעַר) inimicorum tuorum » (porta = civitas).

2) *Metonymia*, quam *Quintilianus*, Institutio oratoria VIII, 6, 23 definit « nominis pro nomine positionem », causam ponit pro effectu, continens pro contento, signum pro re significata, materiam pro re ex ea confecta, e. g. Mt. 10, 34 : « non veni pacem mittere, sed *gladium* » (= bellum) ; Ps. 2, 3 : « dirumpamus *vincula* eorum et proiiciamus a nobis *iugum* eorum » (vincula et iugum = servitus, subiectio) ; Num. 25, 17 : « consurget virga (sceptrum) de Israel » i. e. sceptrum tenens, rex ; I Cor. 11, 26 : « quotiescumque manducabitis panem hunc et *calicem* bibetis » (calix = id quod calice continetur) ; I Petr. 2, 24 : « qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo supra *lignum* » (lignum = crux e ligno facta) ; Io. 11, 25 : « ego sum resurrectio et vita » (= causa resurrectionis) etc.

3) *Metaphora*, quae iuxta *S. Augustinum* contra mendac. 10, n. 24, (PL. 40, 533) est « de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio » (μεταφορά a verbo μεταφέρειν = transferre). Simili modo *Cicero*, Orator 92 metaphoram definit : « Translata ea dico, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur ». *S. Augustinus* l. c. varia affert exempla : « fluctuare segetes, gemmare vites, florida iuventus, nivea canities » ; ita et *Cicero* de oratore III, 38 : « Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, laetas segetes etiam rustici dicunt ». (Cfr. Orator XXIV, 81). Metaphora non est nisi *contracta* similitudo sive comparatio, sicut optime notat *Tullius* de orat. III, 39 : « Similitudo est ad verbum unum contracta brevitas ». Exempla *comparationis* : Ps. 1, 2 : « Et erit (iustus) tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum » ; Ps. 91, 13 : « Iustus ut palma florebit » ; Os. 6, 4 : « Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens » ; Luc. 10, 18 : « Vidi Satanam sicut fulgur de caelo cadentem ». Ps 87, 18 : « Cir-

cumdederunt me sicut aqua tota die (comparatio); cfr. Ps. 68, 2: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam » (metaphora).

In comparatione singula vocabula nativam significationem retinent, in metaphora vero e. g. verbum « fluctuare » non sumitur in sensu litterali proprio, sed in sensu translato et dicitur de segetibus propter similitudinem cum mari fluctuante. Metaphora, omnium troporum pulcherrimus (1), frequentissime occurrit in sacris Litteris, e. g. Ps. 90, 4: « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis »; Ps. 111, 4: « Exortum est in tenebris lumen rectis »; Mt. 5, 13, 14: « vos estis sal terrae »; « vos estis lux mundi »; ib. 16, 6: « Attendite a fermento Pharisaeorum »; Luc. 13, 32: « Dicite vulpi illi (i. e. Herodi) »; Apoc. 5, 5: « Vicit leo de tribu Iuda, radix David » etc.

Inter locutiones figuratus solent etiam recenseri *emphasis* (sive sensus emphaticus), *hyperbole*, *eclipsis*. *Emphasis* (ἔμφασις) iuxta *Quintilianum* inst. orat. VIII, 3 est figura altiorem praebens intellectum quam quem verba per se declarant, vel sec. *Eustathium* λέξις δι᾽ ὑπονοίας αὔξουσα τὸ ζητούμενον: locutio quae occulta significatione auget id de quo agitur; e. g. Ps. 1, 6: « quoniam *novit* Dominus viam iustorum »: ex contextu apparet verbum « novit » non significare merum actum cognoscendi, sed cognitionem coniunctam cum amore, approbationem; Ezech. 20, 11: « dedi eis praecepta mea, et iudicia mea ostendi eis, quae faciens homo *vivet* in eis », ubi verbum « vivere » significat *feliciter vivere*, prospera vitae sorte uti; huc pertinet locutio « illa dies » (Mt. 7, 22 et saepius), qua designatur dies iudicii.

Hyperbole (ὑπερβολή) adest, quando id quod dicitur

(1) Cfr. *Quintilian.* Inst. orat. VIII, 3: « Incipimus igitur ab eo (tropo), qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dico... quae quidem est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur », vide etiam *Cicero*, Orator XXIV, 81.

amplius est eo quod significatur; proinde locutiones hyperbolicae non ad rigorem litterae sumendae, sed iuxta contextum et conditionem loquentis exponendae sunt. Orientales enim amant exaggerationes in loquendo quas nemo in sensu stricto accipit. Exempla habes Gen. 13, 16: « Faciamque semen tuum sicut *pulverem terrae* »; I Reg. 10, 27: « Fecitque (Salomon), ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem *quanta et lapidum* »; Act. 2, 5: « Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi *ex omni natione quae sub caelo est* » i. e. ex multis variisque orbis terrarum regionibus. Mc 10, 25: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei »; I Cor. 4, 15: « Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres ».

Eclipsis (ἔκλειψις) est reticentia (ἀποσιώπησις) alicuius vocis vel partis sermonis, quam legens debet subaudire et supplere, e. g. Ps. 6, 4: « Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo? » i. e. usquequo irasceris mihi, vel: usquequo differes auxilium mihi praestare; Gen. 3, 22 sq.: « nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum (subaudi: eiiciamus eum). Et emisit eum Dominus Deus » etc.

Locutio impropria, quae se extendit ad *totam sententiam* vel *integrum sermonem* est aut *parabola* aut *allegoria*, quibus addi possunt *fabula* et *aenigma*.

Parabola, παραβολή a verbo παραβάλλειν = conferre comparare, hebraice מָשָׁל (1), non est nisi evoluta et con-

(1) מָשָׁל significat: a) *proverbium* e. g. I Sam. 10, 12: « Num et Saul inter prophetas? »; b) *verbum irrisorium*, *facete dictum*, e. g. Ps. 43, 15: « Posuisti nos in similitudinem gentibus »; Ezech. 14, 8; c) *sapienter dictum*, *sententiam* (γνώμη), gnomae enim sunt sententiae breves plerumque ex rebus vitae communis desumptae, quibus universalia per singularia exprimuntur; d) *sermonem didacticum* e. g. Ps. 77, 2; e) *allegoriam* e. g. Ezech. 17, 2-10; f) *parabolam*; cfr. *I. M. Lagrange*, La parabole en dehors de l'Évangile, Revue bibl.

tinuata comparatio vel similitudo. Prout occurrit in S. Scriptura, praecipue in Novo Testamento (1), parabola definiri potest: narratio ficta quidem, sed vitae humanae legibus et consuetudinibus consentanea, cuius similitudine aut officia humana aut res divinae, potissimum regni Dei natura et historia adumbrantur. In parabola vocabula retinent propriam significationem sicut in simplici comparatione (2).

Allegoria vero est evoluta et continuata metaphora; ita *Cicero*, Orator 94: « Iam cum confluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν »; cfr. de oratore III, 41: « Nam illud quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit ». Tritum exemplum praebet carmen *Horatii* de re publica romana (Od. I, 14): « O navis, referent in mare te novi fluctus, etc. ». Multae in sacris Litteris allegoriae inveniuntur, e. g. transplantatio populi Israel ex Aegypto in terram Chanaan sub figura vineae (Ps. 79), canticum vineae (Is. 5, 1-6), leaena et leunculi (Ezech. 19, 1-9), vitis ab aquila plantata et eradicata (ib. 17, 1-10), allegoria boni pastoris, Io. 10, 11 sqq.) (3). Interdum sunt

---

N. S. VI (1909) 198-212; 342-367; *O. Eissfeldt*, Der Maschal im A. T. (Beihefte zur Zeitschr. f. alttestl. Wissenschaft XXIV) Giessen 1913.

(1) In Vetere Testamento parabolae occurunt II Sam. 12, 1-4 (de homine divite et ove hominis pauperis); 14, 6 sq.; I Reg. 20, 39 sq.

(2) De parabolis cfr. *D. Buzy*, Introduction aux Paraboles évangéliques, Paris 1912, 1921 2; *L. Fonck* S. I., Die Parabeln des Herrn im Evangelium 3, Innsbruck 1909; *M. Meinertz*, Die Gleichnisse Jesu (Bibl. Zeitfragen VIII, 3-4) Münster 1916, 1921 3; *C. Gennaro*, De authenticitate et de fine parabolarum D. N. I. Chr., Aug. Taurin. 1920; *I. M. Vosté* O. Pr. De natura et interpretatione parabolarum (opuscula biblica Pont. Collegii Angelici) Romae 1926.

(3) Canticum Canticorum est allegoria, qua illustratur unio inter Deum et populum electum; haec porro unio est typus et umbra perfectioris unionis qua Christus Ecclesiam sibi coniunxit. Unde

brevissimae, e. g. Mt. 3, 12 : « Cuius ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inestinguibili », ib. 23, 4 : « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere ».

Saepius tamen parabolis admiscentur elementa allegorica, e. g. parabolae seminantis (Mt. 13, 3-9), vel allegoriis inserta sunt elementa parabolica, e. g. allegoriae de vite et palmitibus Io. 15, 1-6).

Fabula est narratio rei confictae, quae numquam evenit neque evenire potest, quia res inanimatae vel ratione destitutae inducuntur quasi animatae vel usu rationis praeditae eum in finem, ut doctrina aliqua, praecipue moralis, efficacius inculcetur ; cfr. fabulas *Aesopi*. Duae dumtaxat in S. Scriptura referuntur fabulae scil. Iud 9, 8-15 : arbores eligunt sibi regem ; et II Reg. 14, 9 (cfr. II Par. 25, 18) : « Carduus Libani misit ad cedrum quae est in Libano dicens : da filiam tuam filio meo uxorem ; transieruntque bestiae saltus quae sunt in Libano, et conculcaverunt carduum ».

Aenigma (αἴνίγμα) est allegoria obscurior, cuius sensus (tertium comparationis) subtili meditatione inveniri debet. Exemplum habes Iud. 14, 14 : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo ».

Locutiones figuratae, imprimis metaphora, parabola, allegoria triplicem habere possunt finem [1] ; usurpantur nempe : 1) *pulchritudinis* et *suavitatis causa*, ut venustate sermonis lectorem delectent, cfr. *Cicero* de orat. III, 18 ; 2) *illustrationis causa*, quatenus locutio figurata haud raro veritatem aliquam maiore cum

---

Canticum explicandum est in sensu litterali improprio, qui est fundamentum sensus typici; cfr. *Cornely*, Introductio II, 192 sq.; *Joüon* S. I. Le Cantique des Cantiques, Paris 1909, 20 sq.

[1] *S. Thomas*, I q. 1 a 9 et *L. Janssens* O. S. B., De Deo uno I, Friburgi 1899, 70-73.

claritate exprimat quam sensus proprius. Praecipue huiusmodi figurae inserviunt ad res spirituales, divinas, imaginibus rerum sensibilium captui hominum obviis clarius proponendas, unde dicit *S. Thomas* l. c.: « Convenit etiam Sacrae Scripturae, ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei ». Hunc figurarum finem etiam auctores profani agnoscunt, e. g. *Cicero* de orat. III, 38: « Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, illustrat id quod intelligi volumus, eius rei quam alieno verbo posuimus, similitudo »; *Quintilianus* inst. orat. VIII, 3: « Praeclare vero ad inferendam rebus lucem repertae sunt similitudines ».

3) Ad *celandam* veritatem, ne omnibus indiscriminatim pateat; unde dicit Doctor angelicus l. c. ad 3: « per huiusmodi (figuras) divina magis occultantur indignis ».

Primus finis non excluditur a S. Scriptura, nam licet pura veritas divina non indigeat veste nitida elegantiae sermonis, decet tamen, ut sit proportio inter sublimitatem ipsius caelestis veritatis et formam qua exprimitur; hinc Deus, pulcherrimus ipse, splendorem supernaturalem veritatis et decorem gratiae suae sublimibus et venustis imaginibus nobis manifestat (1).

Ut *secundum finis*, videlicet *illustratio veritatis*, obtineatur, requiritur:

(1) De pulchritudine S. Scripturae, cfr. *Fénelon*, Dialogues sur l'éloquence de la chair III, Œuvres IV, Paris 1838, 47 sq.; Lettre sur les occupations de l'académie française V: Projet de poétique, ib. 501 sq.; *Bossuet:* Dissertatio de Psalmis 2: De grandiloquentia et suavitate Psalmorum, Œuvres complètes ed. *Migne*, V. Paris 1856, 420 sqq.; *A. Werfer*, Die Poesie der Bibel, Freiburg 1875; *Baumgartner* S. I., Geschichte der Weltliteratur I, Freiburg 1891, 1 sqq.; *I. Schäfer*, Die formale Schönheit der Parabeln des Herrn, Katholik 1901, II 1-19; 109-126; **A. Wünsche*, Die Schönheit des A. T., Leipzig 1906; Die Bildersprache des A. T., ib. 1906; **E. König*, Die Poesie des A. T., Leipzig 1907.

a) Ut certum sit agi de locutione metaphorica vel allegoria vel parabola. Haec certitudo eruitur ex ipsa S. Scriptura, quatenus vel auctor sacer clare innuit se uti locutione figurata, e. g. Luc. 12, 1 : « attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis » ; Mt. 13, 31 : « simile factum est regnum caelorum grano sinapis », vel aliquid enuntiatur quod, si sumitur in sensu proprio, est impossibile vel absurdum vel contrarium fidei et bonis moribus, e. g. Mt. 5, 13 : « vos estis sal terrae » ; ib. 5, 29 : « quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te ».

b) Requiritur, ut tum *termini comparationis* tum *tertium comparationis* nota sint. Unde monet *Quintilianus* l. c. VIII, 6, 4 : « Quo in genere id est praecipue custodiendum, ne id, quod similitudinis gratia ascivimus, aut obscurum sit aut ignotum ; debet enim quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat ». Quodsi hae duae conditiones adimplentur, locutiones figuratae magnam habent efficaciam ; hinc * *M. Müller* dicit metaphoram in sermone humano idem valere quod imber et sol pro terra ; sicut iam *Cicero Orator* XXVII, 92 dixit verba translata atque immutata illustrare orationem quasi stellas. Imago vel similitudo rei sensibilis potest esse signum magis naturale conceptus quam sermo, idcirco quaedam imagines apud omnes nationes omnium temporum eaedem sunt, (e. g. lux, tenebrae, imagines a vita pastorali), dum lingua non solum differat apud diversas nationes, sed etiam in eadem natione decursu saeculorum mutationes subeat. Ob hanc forsan rationem Salvator noster quasdam veritates summi momenti sermone figurato proposuit, e. g. promissionem et institutionem primatus S. Petri (Mt. 16, 18 et Io. 21, 18). Parabola ex sua natura est didactica ideoque apta ad res divinas illustrandas [1] ;

[1] Cfr. *D. Buzy*, Enseignements paraboliques, Revue bibl. N. S. XIV (1917) 168-207; de modo interpretandi parabolas cfr. elucubrationem eiusdem auctoris. Pour commenter les paraboles évangéliques, ib. N. S. XIII (1916) 406-422; *Vosté*, Op. cit. 61-77.

unde tota fere doctrina de Ecclesia, de eius origine, incremento, consummatione parabolis proponitur (imprimis Mt. 13, 3-52; Mc. 4, 3-34 [1]). Inquiri semper debet, *quam veritatem* auctor parabolâ proposita illustrare intendat; hoc erui potest e contextu, ex locis parallelis vel interdum ex interpretatione ab ipso Domino data e. g. Mt. 13, 18-23. Neque tamen semper omnia adiuncta particularia explicanda sunt, cum saepius adhibeantur *non ad significandum*, sed ad *ornandum*.

Locutiones figuratae serviunt etiam ad *occultandam* veritatem, maxime in sermone prophetico, cui proprium est veritates modo obscuro et velato enuntiare, unde e. g. imagines allegoricae Apocalypseos nostris adhuc diebus difficiles intellectu sunt. De *parabolis* Domini tres inter auctores sunt sententiae:

1) Nonnulli velut *Knabenbauer* [2] prementes vestigia *Maldonati* (in Mc 4, 33) tenent theoriam *iustitiae*: Quia populus iudaicus visis tot signis et audita manifesta praedicatione veritatis permanebat incredulus, Iesus iam non clare loquebatur ad eos, sed in parabolis, quae ex se habebant quidem finem illustrandi veritates supernaturales, sed propter defectum rectae intelligentiae a parte audientium obscuritatem secum ferebant, atque hoc modo Iesus puniebat contumaciam et duritiam cordis Iudaeorum.

2) Alii velut *Rose* [3] et *Lagrange* [4] praeferunt

[1] Cfr. *I. Schäfer*, Das Reich Gottes im Lichte der Parabeln des Herrn, Mainz 1897; *L. Fonck*, Die Parabeln, etc.; *P. Sainz*, Las Parabólas del Evangelio y el reino de Jesucristo que es la Iglesia, Bilbao 1915; **I. A. Craigie*, The seven parables of the Church, London 1921; **H. B. Swete*, The parables of the kingdom, London 1921.

[2] Comm. in Mt. I [3], Parisiis 1922, 575-578; in Mc. ib. 1894, 116 sq.

[3] Revue bibl. VIII (1599) 360; Evangile selon S. Marc [7], Paris 1905, 35.

[4] Le but des Paraboles d'après l'Evangile selon S. Marc, Revue bibl. N. S. VII (1910), 5-35; Evangile selon S. Marc. [2], Paris 1920, 96-103; eidem sententiae nomen dedit *I. Huby* S. I., Evangile selon saint Marc, Paris 1924, 95.

theoriam *misericordiae*: Iesus se accommodavit ad captum populi semper avidi eum audiendi. Loquens in parabolis volebat excitare attentionem audientium sperans eos paulatim progressuros esse ad percipiendum sensum absconditum. Si absque figuris nude et simpliciter proposuisset doctrinam regni Dei, populus nondum praeparatus nimia luce quasi caecatus fuisset; sed involvens has veritates involucris pulcherrimarum imaginum audientes attentos reddebat, ut quaererent quis esset sensus. Sed turbae indifferentes de sensu parabolarum non interrogabant.

3) Alii media via incedentes dicunt Iesum in parabolis locutum esse punitionis causa propter indifferentiam et segnitiem populi; attamen ex altera parte parabolis manifestari misericordiam Iesu nolentis ex toto populum incredulum reprobare; quapropter Dominum se conformasse dispositioni cordis eorum et proposuisse doctrinam regni sub tegumento parabolarum, quae obscuritatem quidem habebant, sed si intelligebantur, planam doctrinam regni exhibebant. Iesus qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, non poterat turbis misericordiam subtrahere, sed haec misericordia erat conditionata: supponebat scilicet, ut audientes parabolas bene considerarent, aut quod melius erat, de sensu earum interrogarent. Neque tamen legimus turbam umquam interrogasse; ideo parabolae eis remanebant obscurae. *S. Thomas* III q. 42 a 3: «Christus quaedam turbis loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quae capienda non erant idonei vel *digni*»; addit vero: «et tamen melius erat doctrinam audire quam omnino ea privari» (1).

Iuvat pauca addere de *sensu symbolico*, qui et ipse

(1) Cfr. opusc. 53. Fuse de quaestione, cur Iesus locutus sit in parabolis, agit *D. Buzy*, op. cit. 360-400; cfr. etiam *Fonck*, Die Parabeln 19-35; *A. Durand*, Pourquoi Jésus-Christ a parlé en paraboles? Etudes CVII (1906) 756-771; *F. Prat*, Nature et but des Paraboles évangéliques, ib. CXXXV (1913) 198-213; Vosté l. c. 4-8.

est species sensus litteralis improprii. *Symbolum* (σύμβολον a verbo συμβάλλειν = conferre, comparare) est *res* vel *actio* figurata, qua aliud significatur vel repraesentatur, ut si quis ad demonstrandam suam innocentiam manus lavat (Mt. 27, 24).

Sensus proinde symbolicus est veritas signo symbolico expressa. Symbolum differt a parabola et allegoria, quatenus est imago *realis* qua aliud repraesentatur vel veritas illustratur, dum parabola in genere non est nisi *narratio ficta* (licet ipsi subesse possit factum historicum) et allegoria evoluta metaphora.

Distinguuntur *actiones* symbolicae, *visiones* symb., *res* symb., *nomina* symb., *numeri* symb., etc. Haud raro prophetae *actionibus symbolicis* quibus attentio et curiositas populi excitabatur, futura praefigurabant; sic e. g. Ahias propheta coram Ieroboam scidit pallium suum ad monstrandam scissionem regni (I Reg. 11, 29-39); Isaias nudus et discalceatus incessit, ut illustraret sortem Aegyptiorum et Aethiopum (Is. 20, 2-4); Ieremias confregit lagunculam, ut significaret futurum exitium Iuda (Ier. 19, 1 sqq.); admodum frequentes sunt actiones symbolicae apud Ezechielem (4, 1 sqq.; 5, 1 sqq.; 12, 3 sqq. etc. [1]). Ad *visiones symbolicas* pertinet visio Ezechielis (37, 1-14) de ossibus aridis Spiritu Dei vivificatis, qua praefigurabatur resurrectio Israel, i. e. liberatio de exsilio babylonico; visio S. Petri (Act. 10, 10-16) de animalibus mundis et immundis, qua monstrabatur legem mosaicam, quae distinctionem inculcabat inter cibos mundos et immundos, esse abrogatam. Permultae inveniuntur *res symbolicae* in S. Scriptura, praecipue in Vetere Testamento; sic e. g. tabernaculum foederis cum omnibus vasis suis habebat signifi-

[1] Disputatur utrum matrimonium Osee prophetae (1-3) fuerit verum matrimonium aut symbolum in visione prophetae manifestatum; cfr. *P. Craveilhier*, De l'intérpretation historique des événements de la vie familiale du prophète Osée, I-II, Revue bibl. N. S. XII (1916) 342-362; *D. Buzy*, Les symboles d'Osée, ib. XIV (1917) 376-423.

cationem symbolicam; fimbriae in palliis significabant recordationem mandatorum Dei (Num. 15, 38-40). Occurrunt et *nomina symbolica;* sic filius Isaiae vocatur *Schearjaschub* (שְׁאָר יָשׁוּב) Is. 7, 3) i. e. reliquiae (populi Israel) convertentur; alter filius eius habet nomen: *Maher schalal chasch baz* (מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז) ib. 8, 3) i. e. festinans praeda, accelerans rapina; unde dicitur 8, 18: « Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel »; cfr. et nomina filiorum Osee prophetae Os. 1, 4, 6, 9. Neque desunt *numeri symbolici*, e. g. numerus septenarius (Gen. 4, 15; Amos 1, 3, 6, 9 etc.; passim in Apocalypsi), duodenarius (Apoc. 21, 12) etc. (1).

2. *De universalitate sensus litteralis.*

Non est locus S. Scripturae qui non habeat sensum litteralem. Hoc est *principium fundamentale* sanae interpretationis Scripturarum. Spiritus Sanctus qui per homines humano more locutus est, sine dubio naturalem verborum significationem non mutavit. Atqui homo verbis suis sensum aliquem exprimere intendit; ergo idem de Deo nobis loquente dicendum est.

Sancti Patres et scriptores ecclesiastici strenue hanc veritatem affirmant contra *Origenem*, qui in explicandis difficilioribus locis V. T. quandoque litteralem sensum negare videbatur (2). Audiatur S. *Augustinus* qui allegorico interpretandi generi admodum indulgebat, de tent. Abrahae serm. 2, n. 7 (PL. 38, 30 sq.) (3): « Ad-

(1) Cfr. opus praeclarum *D. Buzy*, Les symboles de l'Ancien Testament, Paris 1923.

(2) De vera mente Origenis sermo erit in conspectu historico interpretationis S. Scripturae.

(3) Attamen sanctus Pater non semper sibi constans est; sic e. g. contra mendac. 10, 24 patriarcham Iacob excusat a mendacio negando sensum litteralem narrationis. Dicit nempe: « Nam cum ei

monemus et quantum possumus praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis quae gesta sunt, prius *illud factum esse credatis sic gestum quomodo lectum est* ne, subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare ». Nec minore vi *S. Gregorius Magnus* qui allegoricis interpretationibus magnopere delectabatur, sensum litteralem adstruit, e. g. hom. 40 in Evang. 1 (PL. 76, 1302) : « In verbis sacri eloquii prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur ». Negligere enim litteram S. Scripturae periculosum evadere potest, unde idem S. Pater in ep. ad Leandr. n. 4, (PL. 75, 514) dicit : « Aliquando autem qui verba accipere historiae iuxta litteram negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit ». *S. Hieronymus* ep. 129 ad Dardan. n. 6 (PL. 22, 1105) docet veritatem historiae esse fundamentum intelligentiae spiritalis (1). Optime *S. Thomas* Quodlib. VII q. 6 a 16 paucis verbis doctrinam traditionalem de necessitate sensus litteralis comprehendit : « Sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo » ; ib. VII q. 6 a 7 ad 3 : « Spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum sub aliqua litterali expositione S. Scripturae ». Nam sicut gratia non tollit naturam, sed supponit et elevat eam, ita sensus spiritualis supponit litteralem eumque elevat ad significandas altiores veritates.

---

pater dixisset : Quis es tu fili ? Ille respondit : Ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc si *referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur;* si autem ad illud, propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, ille est hic intelligendus in corpore suo, etc. ». Atqui secundum sensum litteralem, qui in omni loco S. Scripturae admittendus est, debet referri ad illos duos geminos ; ergo fatente ipso Augustino mendacium est.

(1) In Mal. l. 10 monet cavendum esse, ne quis per incerta allegoriae extenuet quae scripta sunt.

Posset quis obiicere Patres nonnunquam in expositione s. textus sensum litteralem excludere; attamen probe notandum est.:

1) Patres interdum neglecta littera statim ad explicandum spiritualem sensum transeunt, quin ex hoc deduci possit eos negasse sensum litteralem; hic cum esset planus, expositione indigere non videbatur.

2) Quodsi in nonnullis locis spiritualem intelligentiam extollunt, non reiciunt sensum litteralem, sed *necessitatem* vel *praecellentiam* sensus spiritualis affirmant. Sic. e. g. *S. Hieronymus* loquitur de « humilitate litterae » (in Amos 8, 11, 12, PL. 25, 1136), de « vili intelligentia secundum litteram » (ep. ad Gal. 4, 8, 9, PL. 26, 402), dicit illum qui Scripturas sanctas secundum Iudaeos legat, tantum folia intelligere, qui vero spiritualiter intelligat, fructum capere (in Psalm. 1, Anecdota Mareds. III, 2, 5); immo proclamat: « Dimittamus litteram cum Iudaeis et sequamur spiritum cum Iesu » (in Mc. 1, 13-31); at graviter erraret qui inde concluderet doctorem Stridonensem putasse nonnullos S. Scripturae locos sensu litterali carere, nam idem ipse scribit: « Non quod litteram Evangelii condemnemus, factum est enim omne quod scriptum est, sed quod quibusdam gradibus ad maiora scandamus » (in Mc. 1, 13-31, Anecdota Mareds. III, 2, 329), et alibi: « Non historiam denegamus, sed spiritualem intelligentiam praeferimus » (in Mc. 9, 1-7, ib. 348); neque litteram spernendam esse asserit: « si quis et secundum historiam intelligit, utilitatem habet animae suae » (in Ps. 1, ib. 5).

3) Patres excludendo sensum litteralem sive historicum haud raro solum sensum *litteralem proprium* intelligunt et locutiones metaphoricas, parabolicas, allegoricas sub nomine sensus spiritualis comprehendunt. Sic e. g. *S. Gregorius M.* ep. ad Leandr. 3 (PL. 75, 513, sq.) dicit verba Iob. 7, 19: « Usquequo non parcis mihi nec dimittis me, ut glutiam salivam meam » non

posse iuxta litteram intelligi. Meritum est theologorum scholasticorum, imprimis *Doctoris Angelici*, quod clare distinxerint inter sensum metaphoricum vel allegoricum, qui non est nisi species sensus litteralis, et sensum spiritualem proprie dictum. Sic S. Thomas in Gal. c. 4, l. 7 docet: « Sub sensu litterali includitur parabolicus vel metaphoricus »; S. Th. I q. 1 a 10 ad 3: « sensus parabolicus sub litterali continetur, nam per voces significatur aliquid proprie et aliquid figurative ».

3. *De unitate sensus litteralis.*

Quaeritur, utrum S. Scriptura sub una littera contineat plures sensus litterales. Haec quaestio non est superflua, nam si unus tantum admittendus est, hoc uno invento inutiliter quaeritur alius; quodsi Patres textum S. Scripturae diversimode exponunt, una dumtaxat explicatio vera esse potest. Concessa vero multiplicitate sensus litteralis, etiamsi unus verus sensus inventus est, nihil impedit, quominus et aliis modis sacer textus explicetur; licebit insuper sequi diversas expositiones Patrum, dummodo non repugnent contextui orationis.

Agitur de pluribus sensibus *diversis*, qui ad unum sensum reduci nequeunt, praeterea de sensibus *obiectivis* i. e. de iis quos auctor verbis exprimit, non de sensibus *subiectivis*, quos legentes in verbis S. Scripturae invenire possunt, demum de sensibus *explicitis* i. e. termino directe expressis, non de sensibus *implicitis* qui termino generali comprehenduntur. Insuper sequentia bene notanda sunt:

a) Sensus litteralis non multiplicatur ex hoc, quod Patres diversas *probabiles* explicationes alicuius textus difficilis et obscuri S. Scripturae proponunt; tunc solum admittendus esset multiplex sensus litteralis, si vel authentica interpretatione scriptoris inspirati vel infal-

libili Ecclesiae magisterio vel saltem ex certa traditione constaret alicui textui plures inesse sensus litterales *disparatos*.

b) Neque multiplicatur sensus litteralis ex hoc, quod verba per se sumpta plures res significare *possunt*, cum a loquente vel scribente ad unum sensum determinentur.

c) Sensus qui legitima argumentatione e sensu litterali eruitur i. e. *sensus consequens*, non constituit multiplicitatem sensus.

Post *S. Augustinum* et *S. Thomam* qui in hac quaestione vestigiis Doctoris Hipponensis inhaeret, permulti auctores admittunt multiplicem sensum litteralem in S. Scriptura, e. g. *Caietanus* ad I q. 1 a. 10; *Melchior Canus* de loc. theol. II c. 11, arg. 7, n. 3; *Bañez* in I q. 1 a. 10; *Vasquez* in I q. 1 a. 10, disp. 17, c. 3-4; *Ioannes a S. Thoma* ad I q. 1, disp. 2 a. 21; *Billuart* trac. de regulis fidei dissert. I a. 8; *Sylvius*, comm. in Iam q. 1 a. 10; *Serarius*, Proleg. bibl. c. 21 q. 12; *Menochius*, prol. in S. Script. c. 25; *Bonfrerius*, Praeloquia c. 20, sect. 5, (*Migne*, Scripturae S. Cursus I, 265); *Suarez*, de fide disp. XVII, sect. 1, n. 13; *Lugo*, de fide disp. XIX, n. 13; *Liebermann*, Instit. theol. t. II c. 1 a. 3 § 2; ex recentioribus *V. Zapletal* (1), *D. Zanecchia* (2), *H. Buonpensiere* (3), *G. Holtum O. S. B.* (4), *N. Assouad O. F. M.* (5), in sensu moderato *G. Gietmann S. I.* (6).

(1) Hermeneutica biblica ², Friburgi Helv. 1908, 26-36.

(2) Divina Inspiratio S. Scripturarum, Romae 1898, 216-219.

(3) Comment. in I P. S. Th. S. Thomae, Romae 1902, 87 sqq.

(4) Studien u. Mitteilungen aus d. Benediktiner- u d. Zisterzienserorden XXII (1901) 515-525.

(5) Polysema sunt sacra Biblia I St Maurice en Suisse 1917; II Ad Claras Aquas 1920; III ib. 1923-1924.

(6) Der mehrfache Sinn der hl. Schrift, Zeitschr. f. kath. Theol. XXVII (1903) 381-390; *F. Schmid*, De Inspirationis Bibliorum vi et ratione Brixiae 1885, 235-282 dicit sententiam affirmantem auctoritate, negativam ex rationibus internis apparere probabiliorem.

Argumenta quibus haec sententia probatur, desumuntur ex ipsa *S. Scriptura*, ex *auctoritate Patrum*, ex *auctoritate Scholae*, e *dignitate sacrarum Litterarum* :

1) Ex *S. Scriptura* : Hagiographi Novi Testamenti varios textus V. T. diversimode explicant. Sic e. g. Ps. 2, 7 : « Filius meus es tu, ego hodie genui te » Heb. 1, 5 refertur ad *divinitatem* Christi, Hebr. 5, 5 ad *dignitatem* eius *pontificalem*, Act. 13, 33 citatur ad probandam eius *resurrectionem*. Attamen de sensu huius ultimi loci non constat ; verba nempe Apostoli : « suscitans Iesum (ἀναστήσας Ἰησοῦν) sicut et in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus, etc. » a multis interpretibus (1) intelliguntur de missione Iesu in mundum ad munus messianicum adimplendum, sicut Act. 3, 22 : « Prophetam suscitabit vobis Dominus ». Quodsi verba ita explicantur, citatio Ps. 2 ad eundem sensum trahenda est : Misit nobis Iesum et revelavit eo modo quo dictum est in Ps. 2 : Deus nempe tum in baptismate tum in transfiguratione Iesum Filium suum declaravit. Sed retenta etiam explicatione antiquorum interpretum qui resurrectionem a mortuis intelligunt (2), nihil sequitur pro multiplicitate sensus litteralis ; quis enim audebit asserere verba : « ego hodie genui te » in sensu *litterali* significare *resurrectionem* Christi? Sensus potius est : Deus Messiam, Filium suum dilectum, suscitare debuit a mortuis, qua resurrectione divina filiatio Christi quam maxime manifestata est ; qui sensus legitima conclusione e verbis Psalmi deductus est *sensus consequens*, non sensus litteralis explicitus : filiatio divina hisce verbis expressa est causa et ratio, cur Iesus non potuerit non resurgere a mortuis. Idem dicendum est de textu Hebr. 5, 5 : filiatio divina Christi est funda-

(1) E. g. *Knabenbauer*, Comm. in Act. Ap., Parisiis 1899, 233; *V. Zapletal*, Alttestamentliches, Freiburg 1903, 137.

(2) Ita et *Belser*, Die Apostelgeschichte, Wien 1905, 173; *A. Camerlynck*, Commentarius in Actus Apostolorum, Brugis 1910, 271; *A. Steinmann*, Die Apostelgeschichte, Bonn 1916, 99.

mentum dignitatis eius sacerdotalis, nisi quis praeferat dicere in illo loco verba : « Filius meus es tu » esse tantummodo paraphrasim vocabuli : *Pater*. Unde solum Hebr. 1, 5, ubi demonstratur Christum utpote Filium Dei esse superiorem angelis, verba Psalmi in sensu litterali usurpantur.

Mt. 8, 17 libere allegantur verba Is. 53, 4 : « vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit », quibus iuxta contextum praedicitur passio et satisfactio vicaria servi Dei i. e. Messiae. Evangelista haec transfert ad miraculosas sanationes quas Iesus operabatur : ergo verba prophetae duplicem videntur habere sensum litteralem. Hoc tamen minime sequitur ; ita enim res debet explicari : Christus a nobis aufert morbos corporales, qui haud raro sunt poenae peccatorum et certe a peccato originem habent : ille qui peccata et poenas peccatorum aufert, potest et morbos sanare. Ita *Knabenbauer* (1) : Evangelista igitur reddit rationem intimam, cur Christus mala illa, ex peccato orta, auferre et sanare possit, quia scilicet ille est, qui ipsa peccata, fontes malorum, sua expiatione et satisfactione aufert ». Hic sensus est abundans vel *consequens*, non sensus immediate litteralis.

Act. 3, 22 S. Petrus citat Deut. 18, 15 et 19 in sensu messianico ; idem oraculum allegat S. Stephanus ib. 7, 37 ; iamvero ex contextu illius capitis Deut. apparet a Deo promitti munus propheticum tamquam institutionem ordinariam V. T. (« propheta » est singularis collectivus), unde hic textus duplicem videtur habere sensum litteralem, unum quo praedicitur munus propheticum V. T., et alterum quo praenuntiatur Messias. At haec conclusio falsa est. Nam inter illos prophetas futuros quos Deus promisit, et ipse Christus numerandus est, qui est caput prophetarum et finis prophetiae, unde in sensu plenissimo de ipso hoc vaticinium intelligi

(1) *Knabenbauer-Merk*, Comm. in Mt. I 3, Parisiis 1922, 375.

potest. Iamvero sensus, qui continetur in universali quadam veritate tamquam pars in toto, non constituit proprie loquendo sensum litteralem distinctum.

Allegatur etiam Io. 11, 49-52: « expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, etc. », sed ibi debet distingui sensus *subiectivus* Caiphae, qui ex malitia suasit occisionem Iesu, et sensus *obiectivus* a Spiritu Sancto intentus et ab Evangelista indicatus, ergo non habetur duplex sensus *litteralis obiectivus* (1).

2) *Ex auctoritate Patrum*: a) *indirecte*: Patres diversas explicationes litterales textuum S. Scripturae admittunt et probant. Sic e. g. verba Gen. 1, 1 explicant vel: in *principio temporum*, vel dicta esse docent de *Verbo* sive *Filio Dei*, qui saepius vocatur principium, e. g. Col. 1, 18; cfr. Apoc. 3, 14: « principium creaturae Dei »; ita *Theophilus* ad Autolyc. II, 10, 13 (PG. 6, 1065, 1072); *Clemens Alex.* Strom. VI, 7 (PG. 9, 280); *Origenes* in Gen. hom. 1, 1 (PG. 12, 145); *S. Augustinus* de Gen. ad lit. I, 4 n. 9 (PL. 34, 249); Confess. XII, 28-29 (PL. 32, 842), qui et tertiam interpretationem addit: « quia primo omnium facta sunt »; *S. Thomas* I q. a. 3 qui utramque ponit explicationem: in principio temporis ad excludendum errorem mundum semper fuisse, et in Filio (2). Sed haec expositio, licet sit pulcherrima et sublimem veritatem exprimat, non habet fundamentum in sensu litterali huius versus, sicut optime animadvertit *S. Hieronymus* quaest. in Gen. 1, 1 (PL. 23, 987). Vox hebraica רֵאשִׁית primum momentum temporis sive

(1) Cfr. *S. Thom.*, S. Th. II II q. 173 a 4: « quandoque ille, cuius mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit quid Spiritus Sanctus per haec verba intendat ». Cum Caiphas esset homo rationalis et humano modo loqueretur, per verba quae proferebat, ipse aliquid intelligebat et exprimebat, attamen aliquid omnino distinctum ab illo determinato sensu, quem ex occulta instigatione Spiritus Sancti eius verba habebant.

(2) *N. Assouad*, op. cit. II 115 sqq. recenset omnes Patres et auctores ecclesiasticos qui hanc sententiam tenent.

relative sive absolute sumpti significat. S. Ioannes in exordio Evangelii aperte alludit ad initium libri Genesis; porro si dicit: « In principio erat Verbum », terminus ἐν ἀρχῇ in sensu temporali sumendus est, per consequens etiam in libro Genesis.

Textum Is. 53, 8: « Generationem eius quis enarrabit? » multi Patres explicant vel de aeterna generatione Filii Dei e sinu Patris vel de incarnatione eius, vel de utraque, ut sit sensus: quis potest intelligere ineffabilem originem Filii e sinu Patris vel mysterium incarnationis eius? Attamen haec explicatio minus congruit contextui illius capitis Isaiae in quo sermo est de Messia patiente et de satisfactione ipsius vicaria, insuper notandum est vocem hebraicam דּוֹר quae frequentissime occurrit in S. Scriptura, numquam significare *originem* sive *nativitatem*, sed *aetatem*, homines aliqua aetate degentes, habitationem (1), unde iuxta textum originalem neque ad nativitatem eius ex utero Virginis referri possunt. Textus hebraicus hoc modo videtur esse explicandus: Quis potest intelligere generationem eius i. e. coaevos eius, populum eius, a quo traditus est in mortem?, vel: quis potest enarrare gentis illa aetate viventis malitiam? Unde neque hic locus plures sensus litterales admittit.

2) Auctoritas Patrum reducitur ad solum *Augustinum*. Allegatur sane etiam *S. Gregorius Magnus* in Ezech. I hom. 10, n. 30 (PL. 76, 898), qui ad verba: « Vocem alarum percutientium alteram ad alteram » (Ezech. 3, 13) scribit: « Est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per prophetam dicitur, utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se invicem feriant; sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid

(1) Cfr. *Hetzenauer*, Epitome exgeticae biblicae 65; Theologia biblica I, Friburgi 1908, 480 sq.; *A. Camerlynck*, Comm. in Actus Ap., Brugis 1910, 216.

obscure dicitur, ut dispensante Deo multipliciter exponatur ». At S. Pater loquitur tantum de *obscuritate* et ambiguitate sensus, qua fit, ut textus aliquis sacer *diversimode exponi possit,* quin inde sequatur omnes istas diversas expositiones possibiles aeque a divino Inspiratore aut ab humano auctore intentas esse, unde non dicit : « ut multa *significarentur* », sed : « ut multipliciter *exponatur* ».

S. Augustinus saepius de pluralitate sensus litteralis loqui videtur, imprimis in libro XII Confessionum, ubi pie meditatur de opere creationis, et in Doctrina christiana, in qua hermeneuticae biblicae leges tradit. In Conf. XII, 26 (PL. 32, 841) inter alia haec habet : « Vellem quippe, si tunc essem Moyses... et mihi abs te Geneseos liber scribendus iniungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari et eum texendi sermonis modum, ut neque illi qui nondum queunt intelligere, quemadmodum Deus creat, tamquam excedentia vires suas dicta recusarent, et illi qui hoc iam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitando venissent, eam non praetermissam in paucis verbis tui famuli reperirent, et si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset » ; et inferius c. 31 (ib. 844) : « Ita cum alius dixerit : hoc sensit quod ego, et alius : immo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere : cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnino vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe, intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum

virum de te non meruisse credam. Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest ». Demum in op. de doctrina christ. III, 27 n. 38 (PL. 34, 80) ita scribit : « Ille quippe auctor in eisdem verbis quae intelligere volumus, et ipsam sententiam fortasse vidit et certe Dei Spiritus, qui per eum haec operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, immo ut occurreret, quia et ipsa auctoritate subnixa est, providit ».

Ex his textibus aliisque similibus probare conantur S. Augustinum non tantum possibilitatem, sed exsistentiam multiplicis sensus litteralis in S. Scriptura admisisse. Concesso etiam hanc fuisse doctoris Hipponensis mentem, notandum est ipsum hanc sententiam nullomodo proponere tamquam ubique in ecclesiis receptam vel de fide tenendam, sed tamquam *piam opinionem personalem*. Ipse admiratione et amore verbi Dei scripti captus pro ardore fecundissimi ingenii sui magnopere desiderat, ut sacrae Litterae sub quovis respectu libris profanis antecellant et maxima ubertate veritatum fulgeant. Sane S. Augustinus summa auctoritate gaudet, sed tamen semper prae oculis habendum est principium : in rebus quae ad doctrinam fidei et morum pertinent, in genere requiri communem SS. Patrum consensum ad constituendum efficax argumentum, licet sub certis conditionibus sufficiat etiam consensus plurium Patrum. Iamvero in nostro casu neque habetur communis omnium Patrum consensus — id quod demonstratione non indiget — neque etiam consensus plurium Patrum, nam praeter Augustinum nemo (non excepto S. Gregorio) ex professo de hac quaestione agit. Putant quidem theologi in certis casibus unius alteriusve Patris auctoritatem per se posse sufficere ad probandum. Ut vero hoc locum habeat, duo requiruntur : 1) ut agatur de fidei dogmate insigni, non de aliqua quaestione

subtili; 2) ut testimonium de hoc dogmate publice contra haereticos feratur. Atqui hic non agitur de dogmate insigni, sed de re secundaria et quaestione subtili; et S. Augustinus non tamquam testis traditionis rem proponit et defendit, sed tamquam doctor privatus opinionem suam personalem tradit. In hisce casibus singulorum Patrum auctoritas tantum valet quantum eorum ratio et probatio. Iamvero S. Augustinus argumenta stricte rem probantia non attulit, sed potius *pium desiderium* expressit.

Ceterum sententia s. Doctoris non omnino clara est vel saltem ipse non semper sibi constans est. Imprimis animadvertendum est ipsum hanc multiplicitatem sensus (si tamen eam admittit) non statuere nisi in locis ambiguis et obscuris. Per se interpres debet conari, ut inveniat *sensum ab auctore sacro intentum;* hic nempe est finis indagationis et scrutationis S. Scripturae; cfr. Conf. XII, 23 (PL. 32, 839): « accedamus ad verba Libri tui, et quaeramus in eis *voluntatem tuam per voluntatem famuli tui,* cuius calamo dispensasti ea »; ib. 32 (ib. 844): « si hoc dixero *quod sensit minister tuus,* recte atque optime; id enim conari me oportet »; ib. 18 (ib. 836): « Omnes quidem qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, *quod voluit ille quem legimus* »; de Gen. ad lit. I 21, n. 41 (PL. 34, 262): « et cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, et sanitate catholicae fidei muniuntur, id *potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus* ». Quodsi ergo verba S. Scripturae pluribus modis explicari possunt et omnes explicationes possibiles cum fide catholica concordant, tamen summopere laborandum est, ut inveniatur *ille sensus quem auctor sacer verbis suis exprimere voluit.* S. Augustinus proinde supponit hagiographum semper *unum sensum determinatum* exprimere voluisse, unde dicit de doctr. chr. I, 36 (PL. 34, 34): « Quisquis in Scripturis aliud sentit

quam ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur »; de cons. evang. II 28 n. 67 (PL. 34, 1110) docet nihil in cuiusque verbis nos debere inquirere nisi voluntatem, cui debent verba servire; ib. II 46 n. 97 (ib. 1126): nihil quaerendum in verbis nisi loquentium voluntatem.

Quid vero, si sensus hagiographi cum certitudine erui nequeat? Tunc imprimis cavendum est, ne admittatur sensus fidei catholicae contrarius. Quodsi hoc factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia (de Gen. ad lit. I 19 n. 38, PL. 34, 260). Excluso sensu aperte erroneo maxima conceditur libertas in complectendis sensibus *possibilibus*, cfr. de Gen. ad lit. I 21 n. 41 (PL. 34, 362): « Si autem hoc (scil. quod sensit auctor sacer) latet, id certe (deligamus) quod circumstantia Scripturae non impedit (i. e. sensum qui contextui orationis contrarius non est), et cum sana fide concordat; si autem et Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest (i. e. si ex contextu certus aliquis sensus erui nequit), saltem id solum quod fides sana praescribit. Aliud est enim quid potissimum scriptor senserit non dignoscere, aliud autem a regula pietatis errare (i. e. quamvis sensus ab hagiographo immediate intentus non inveniatur, nullum habetur inconveniens, dummodo sensus a vera fide discrepans excludatur). Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis (i. e. perfectus fructus capitur, si quaevis falsa explicatio excluditur et sensus ab auctore sacro expressus percipitur), si vero utrumque vitari non potest, etiamsi voluntas scriptoris incerta sit, sanae fidei congruam non inutile est eruisse sententiam »; de doctr. chr. III, 27 n. 38 (PL. 34, 80): « Quando autem ex eisdem Scripturae verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest, id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem

perveniat auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur sive aliam sententiam de illis verbis quae fidei rectae non refragatur, exsculpat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum ». Sanctus ergo Doctor iterum monet, ut in quantum fieri potest, *sensus ab hagiographo intentus investigetur*. In hunc finem praescribit, ut interpres attendat ad scopum auctoris, e. g. doctr. chr. III, 4 n. 8 (PL. 34, 68), ad contextum ib. III, 2 (ib. 34, 65), ad locos similes. Quodsi iste sensus inveniri nequit, saltem sensus eruatur, qui aliis locis S. Scripturae fulciri potest. Deinde pergit: « Ille quippe auctor in eisdem verbis quae intelligere volumus, et ipsam sententiam (scil. eam quam nos eruimus) *forsitan* vidit; et certe (scil. quamvis hagiographus eam non viderit) Dei Spiritus qui per eum haec operatus est, etiam ipsam *occursuram* lectori vel auditori, sine dubitatione praevidit; immo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit ». Deus ergo iuxta S. Augustinum praevidit omnes possibiles explicationes alicuius textus obscuri, immo ipse voluit hanc obscuritatem et ambiguitatem, ut in verbis sacri auctoris legentes plures sententias veras inveniant, nam, ita s. Doctor de Civ. Dei XI, 19 (PL. 41, 332): « obscuritas etiam ad hoc est utilis, quod plures sententias veritatis parit et in lucem notitiae producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit ». Non agitur de *pluribus sententiis ab hagiographo verbis expressis*, sed de sententiis, quas ipse Deus legentibus *occasione* verborum sacri auctoris *revelat* vel *ostendit* vel *suggerit*, cfr. Conf. XII, 32 (PL. 32, 844): « Numquid et Spiritum tuum bonum latere potuit, quidquid eras in eis verbis tu ipse *revelaturus* legentibus posteris, etiamsi ille per quem dicta sunt, *unam* fortassis ex multis veris *sententiam* cogitavit? (i. e. etiamsi hagiographus *unam tantum sententiam* exprimere voluit). Quodsi ita est, sit igitur *illa quam cogitavit* (hagiographus) *caeteris excelsior* (ergo sensus a sacro auctore

intentus praeferendus est). Nobis autem, Domine, aut ipsam (scil. quam intendit hagiagraphus) demonstra, aut quam placet alteram veram, ut sive nobis hoc quod etiam illi homini tuo, sive aliud ex eorundem verborum *occasione* patefacias, tu tamen pascas »; ib. XII, 18 (ib. 836) : « Dum ergo quisque conatur id sentire in Scripturis sanctis quod in eis sensit ille qui scripsit, quid mali est si hoc sentiat, quod tu, lux omnium veridicarum mentium, *ostendis* verum esse, *etiamsi hoc non sensit ille quem legit;* cum et ille (hagiographus) verum, nec tamen hoc senserit? » Uti ex his verbis apparet, S. Augustinus apprime distinguit inter sensum ab auctore sacro intentum verbisque expressum, et varios sensus, quos pius lector occasione verborum i. e. ratione eorum obscuritatis, Deo revelante vel patefaciente vel ostendente invenire potest, quamvis hagiographus eos non intenderit, immo forsitan neque noverit. Ex his ergo locis non potest deduci S. Augustinum docuisse multiplicitatem sensus litteralis; cum enim sensus litteralis proprie dictus sit ille, qui verbis sacri auctoris immediate exprimitur, diversi illi sensus, quos Deus pio lectori occasione verborum hagiographi occursuros praevidebat et etiam quadammodo intendebat, nonnisi sensus litterales late sumpti esse possunt (1).

Textus autem superius allegatus (Conf. XII, 31) : « Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et qudquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest » revera de *multiplici sensu ab hagiographo intento* loqui videtur. Sed S. Augustinus hanc sententiam non tamquam doctrinam certam proponit, cfr. de Gen. ad lit. I 19, n. 38 (PL. 34, 260 sq.) :

(1) Cfr. *F. Talon* S. I., Saint Augustin a-t-il réellement enseigné la pluralité des sens littéraux dans l'Ecriture? Recherches de science rel. XI (1921) 1-28; vide etiam *A. Fernandez,* De mente S. Augustini relate ad unitatem sensus litteralis, Verbum Domini VII (1927) 278-284.

« Si autem hoc (i. e. quod interpres sensit) verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum librorum scriptor sentiri voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si caetera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit... si autem contextio Scripturae hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quaerere, utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit, quidnam eorum ille voluerit; et *utrumque sentiri voluisse non inconvenienter creditur,* si utrique sententiae certa circumstantia suffragatur ».

Videri insuper oportet, quomodo S. Augustinus in praxi agat; e. g. in opere de Gen. ad lit. lib. imperf. c. 4, n. 16-18 (PL. 34, 226 sq.) dicit Spiritum Dei qui ferebatur super aquas esse vel Spiritum Sanctum vel vitalem creaturam qua universus iste mundus continetur vel aeris elementum, atque concludit: « Sed quaelibet sententiarum istarum vera sit, omnium rerum quae ortae sunt... Deum esse auctorem et conditorem credendum est ».

Non ergo dicit omnes istas diversas explicationes simul esse veras.

3) Ex *auctoritate scholae*: Dubitari nequit, quin *S. Thomas,* princeps theologorum scholasticorum, saepius in favorem multiplicis sensus litteralis loqui videatur, quod tamen *Knabenbauer* (1), *Cornely* (2), *Portalié* (3) aliique negant. In opere de potentia (script. inter 1259-1263) q. 4 a. 1 hoc modo disserit: « Hoc enim ad *dignitatem divinae Scripturae* pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se

(1) Stimmen aus M. Laach XXIX (1885) 201 sq.
(2) Introductio I 547.
(3) Dictionnaire de Théologie cath. I 2343.

in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente concepit... Unde *non est incredibile* Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut *diversa vera* quae homines possent intelligere, *ipsi cognoscerent et ea sub una serie litterae designarent,* ut sic quilibet eorum sit *sensus auctoris.* Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae litterae *aptentur* quae auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae *salva litterae circumstantia* potest divinae Scripturae *aptari,* est eius *sensus* ». Verum est S. Thomam in hoc articulo non explicite loqui de sensu litterali ; at e contextu potest deduci ipsum de hoc sensu agere. Praecedit enim interpretatio secundi versiculi capitis primi l. Geneseos ; doctor Angelicus proponit explicationem a S. Augustino datam et alteram quam S. Basilius, S. Gregorius aliique praeferunt, quarum utraque litteralis est dicenda.

De multiplicitate sensus agit Angelicus etiam in Summa theol. I q. 1 a. 10 (a. 1267) ; postquam locutus est de divisione sensus in litteralem et spiritualem qui subdividitur in allegoricum, tropologicum et analogicum, pergit : « Quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit, auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. Conf., si ***etiam*** *secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus* ». Auctores non conveniunt in interpretatione huius textus. *Cornely* asserit hoc in loco sensum litteralem latissime sumi : « sensus litteralis est quem auctor intendit, qua definitione etiam sensus spiritualis comprehenditur, ideoque etiam in primae obiectionis solutione monet non ideo plures sensus in Scriptura esse admittendos, quia una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possint esse signa ». Eodem modo textum explicat *P. Synave*

O. P. (1): sensus spirituals potest sub quodam respectu vocari sensus litteralis, quia a Deo, auctore S. Scripturae, intentus est; ipsi assentitur *P. I. M. Vosté* (2). Alii vero uti *Zapletal* (3) hoc loco inveniunt clare expressam doctrinam de possibilitate multiplicis sensus litteralis, dicunt nempe S. Doctorem, qui antea omni cum perspicuitate distinxerit sensum litteralem et spiritualem, non potuisse postea in eodem articulo utrumque confundere et sub una voce sensus litteralis comprehendere. Quid in hoc casu significat particula « *etiam* »? Mens S. Thomae videtur esse: sicut sensus spiritualis S. Scripturae est multiplex, sic non est inconveniens, si *etiam* secundum sensum litteralem plures sub una littera sint sensus. Ipse allegat *S. Augustinum,* qui in l. 12 Confess., praecipue in capp. 26 et 31 certissime loquitur de multiplici sensu litterali, non de multiplicitate sensus orta ex eo, quod S. Scriptura praeter sensum litteralem habet etiam spiritualem et uterque intentus est a Deo. Notandum praeterea S. Thomam non solere respondere ultra limites obiectionis factae. Cum vero prima difficultas procederet ex eo, quod admissa multiplicitate sensus, litteralis videlicet, allegorici, moralis et anagogici, generetur confusio et deceptio, Doctor Angelicus respondet nullo modo haberi aequivocationem sive confusionem, quia diversi isti sensus fundentur super unum, videlicet litteralem (cfr. et Quodlib. VII a. 14 ad 1). Ex II Sent. dist. 2 q. 1 a. 2 ad 7: « Auctori-

(1) La doctrine de Saint Thomas sur le sens littéral des Écritures, Revue bibl. XXXV (1926) 40-65; imprimis 58-61.

(2) Revue bibl. XXXVI (1927) 112 et not. 2; ita et P. *A. Fernandez,* Institutiones biblicae I 301.

(3) Hermeneutica biblica ², Friburgi Helv. 1908. Etiam *M. A. van den Oudenrijn* O. Pr., De prophetiae charismate in populo israelitico, Romae 1926, 217 not. 2 admittit a S. Thoma (I q. 1 a 10) doceri possibilitatem pluralitatis sensus litteralis; similiter *R. M. Schultes* O. Pr., De ecclesia catholica praelectiones apologeticae, Parisiis 1926, 554, idem senserunt antiquiores S. Thomae expositores.

tati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide, quia maiori veritate eam Spiritus Sanctus fecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit », nihil certi desumi potest.

S. Thomas duas tamen ponit conditiones : 1) ut *salvetur fides,* unde sensus contrarius veritatibus fidei excludendus est, cfr. de Potent. q. IV a. 1 : « Ne aliquis id quod patet esse falsum dicat in verbis Scripturae debere intelligi » ; 2) ut *salvetur circumstantia litterae,* i. e. ut diversi sensus iuxta contextum orationis vel capitis vel etiam libri possibiles sint, cfr. ib. : « ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alii sensus qui in se veritatem continent et possunt, *salva circumstantia litterae,* Scripturae *aptari,* penitus excludantur... Unde omnis veritas, quae, salva circumstantia litterae, potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus ».

Quod attinet *ordinem* inter diversos sensus Aquinas hanc proponit doctrinam IV Sent. dist. 21 q. 1 a. 3 q. 3 ad 3 : « Dicendum quod in sacra Scriptura praeter *principalem sensum* quem auctor intendit, possunt alii sensus non incongrue *aptari.* Et sic Hieronymus *per adaptationem* quandam loquitur et *non secundum intentionem Apostoli* ». S. Thomas admittit ergo *sensum principalem* quem auctor inspiratus directe intendit et verbis expressit, et hic sensus qui est unicus, directe e sacro textu eruitur. Sed praeterea alii sunt sensus potius *secundarii,* qui non immediate e textu fluunt, sed tamen absque violentia verbis S. Scripturae *aptari* possunt, quos licet forsitan hagiographus non intenderit immo neque cognoverit, tamen Spiritus Sanctus, principalis S. Scripturae auctor, intellexit ; cfr. de Potent. q. 4 a. 1 : « Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intellexit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae ». Ergo isti sensus non immediate e textu

eruuntur, sed potius textui adaptantur, possunt tamen vocari sensus sacrae Scripturae, quia Spiritus Sanctus, principalis auctor sacrarum Litterarum, *hanc adaptationem* praevidit et quodammodo intendit. Nonne idem, aliis tantum verbis dicit S. Augustinus de doctr. chr. III, 27: « certe Dei Spiritus etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit? » Attamen isti sensus *adaptati* verbis S. Scripturae non possunt vocari proprie sensus *litterales,* cum non sint sensus e verbis sacris eruti, sed potius ab interprete *in textum sacrum illati;* sensus enim litteralis stricte dictus est, quem verba S. Scripturae immediate significant et S. Thomas vocat *sensum principalem.*

Possibilitatem multiplicis sensus Doctor Angelicum probat ex eo, quod auctor S. Scripturae est Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, immo concedit etiam auctorem humanum in uno verbo plura intelligere potuisse, cfr. Quodlib. VII a. 14 ad 1: « Auctor principalis s. Script. est Sp. S. qui in uno verbo s. Scr. intellexit multa plura quam per expositores s. Scr. exponantur vel discernantur; nec est etiam inconveniens, quod homo qui fuit auctor instrumentalis s. Scr., in uno verbo plura intelligeret; quia Prophetae, ut Hieronymus dicit, ita loquebantur de factis praesentibus, quod etiam intenderent futura significare: unde non est impossibile simul plura intelligere, in quantum unum est figura alterius ». Hic tamen non agitur de pluribus sensibus litteralibus, sed de sensu literali et typico.

Aliud argumentum, quo Aquinas thesim probat, est *dignitas* S. Scripturae: hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat. Tres adducit rationes ad hoc illustrandum: 1) « ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat », quatenus scil. S. Scriptura omnium captui se conformet; 2) ut hac ubertate sensuum excitetur admiratio legentium: « et unusquisque miretur

se in divinis Scripturis posse invenire veritatem quam mente conceperit »; 3) « ut per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus » (1).

Interpretes S. Thomae sequuntur vestigia Magistri, immo unus alterve ulterius progreditur. Sic *Vasquez* in Sum. Disp. XVII c. 2 sententiam quae multiplicitatem sensus litteralis admittit, vocat *communem; Bañez* in Sum. q. 1 a. 10 dub. 7 concl. 3 putat contrarium asserere esse temerarium; *Toletus* in Sum. q. 1 a. 10 5 concl. dub. 3 de hac sententia dicit: « Non auderem dicere eam esse de fide, tamen hoc mihi est certissimum, quod esset temerarium, forsan erroneum, negare plures litterales sensus in una littera S. Scripturae ». Si quis obiicit e multiplicitate sensus litteralis necessario oriri aequivocationem sive ambiguitatem, respondent hoc non sequi, quia *saepe isti sensus habent inter se aliquem ordinem* (*Vasquez* l. c., *Ioannes a S. Thoma,* Cursus theol. q. 1. Primae Partis Disp. 2 a 12); sed in hoc casu iam non habentur *diversi sensus* litterales, sed *unicus* sensus litteralis completus. P. *Mariales*, Bibliotheca Interpr. ad univ. S. Th. divi Thomae controv. XI c. 4 concedit *per se* multiplicitatem sensus litteralis generare confusionem, impossibilitatem arguendi, immo fallaciam, sed *in praxi* haec non esse timenda, quia theologus, qui utitur textu, illum ad *unum sensum* reducit, vel ex *declaratione Ecclesiae*, vel ex *consensu Patrum*, vel ex *concessione adversariorum*. Quo admisso, iure quaeri potest, ad quid multiplicitas sensus litteralis utilis sit; si ex declaratione Ecclesiae vel ex consensu Patrum constat de sensu alicuius textus S. Scripturae, hic est unicus verus sensus litteralis, a quo recedere non licet.

(1) De mente S. Thomae optime disserit *A. Blanche*, Le sens littéral des Ecritures d'après St Thomas d'Aquin, Revue Thomiste XVI (1906) 192-212.

Nostris diebus iam praevaluit sententia sensum litteralem proprie dictum ubique esse unicum. Eam medio aevo tenuerunt *Alexander Halensis*, Summa I q. 1 membr. 4 a 2: « Hic modus est in Scriptura sacra, ut sit unicus sensus litterae, multiplex vero in mysterio »; *Albertus Magnus* Summa I, tr. 1, q. 5 membr. 2 ad 5: « Theologia unam vocem ad unum refert significatum »; *S. Bonaventura* in IV. Sent. dist. XXI p. 1 dub. 1: « una scriptura multis modis potest exponi, unus tamen est litteralis et principalis intellectus »; *Henricus Gandavensis*, Sum. a. 16 q. 2 ad 2; *Aegidius Romanus* in II Sent. dist. XIV q. 1 a. 2 dub. 2; quos secuti sunt *Tostatus, Maldonatus, Estius, Calmet*, ergo auctores qui ex professo interpretationi sacrarum Litterarum operam dabant; ex recentioribus *Patrizi, Reithmayr, Krementz, Beelen* (1), *Knabenbauer, Cornely, Mader, Székely, Grivnácky, Döller, Lamy* (2), *Ubaldi* (3), *A. Dondero* (4), *Hetzenauer* (5), *Dorsch* (6), *R. Peeters* O. F. M. (7), *Vigouroux-Brassac* (8), *F. M. de Castro* (9), *A. Fernandez* (10), etc.

Qui thesim suam hoc fere modo probant: Deus in Scripturis per homines more hominum loquitur (cfr. *August.* de Civ. Dei XVIII, 6). Atqui de natura linguae humanae est, ut in suis sententiis duplicem sensum nullo modo patiatur. Possunt sane vocabula per se plura significare, sed in contextu orationis intentione

(1) Dissertatio theologica qua sententiam vulgo receptam esse S. Scripturae multiplicem sensum interdum litteralem nullo fundamento satis firmo niti demostrare conatur, Lovanii 1845.

(2) Introductio, I, 216-219.

(3) Introductio, III, 41.

(4) Institutiones biblicae [2], Genuae 1895, 334-352.

(5) Epitome, 97 sq.

(6) De inspiratione, 257-260.

(7) Introductio in S. Scripturam, Woerden 1915, 121-123.

(8) Manuel biblique I [14], Paris 1917, 238 sq.

(9) Introductio generalis 346 sqq.

(10) Institutiones biblicae I 297-303.

loquentis vel scribentis ita ad unam significationem trahuntur, ut aliae excludantur. Quodsi verba interdum etiam in contexta oratione plures admittunt sensus et auctor hoc intendit, oritur *amphibologia* sive *aequivocatio,* quae licita esse potest, si agitur de sententia ex iusta causa celanda, secus vero semper doli vel fallaciae speciem prae se fert ac per consequens *vitium sermonis* reputatur, unde ponitur inter sophismata dictionis, quae nemo dicet pertinere ad perfectionem vel dignitatem sermonis (cfr. oraculum quo sacerdotes Apollinis deluserunt Pyrrhum: « Aio te Aiacida Romanos vincere posse »). Cum summa sermonis perfectio et dignitas in eo consistat, ut sensum, in quantum fieri potest, perspicuum et intelligibilem reddat, verbum Dei scriptum hac perfectione carere nequit. Unde pertinet potius ad dignitatem S. Scripturae, ut sub una littera unum tantum sensum litteralem contineat.

Haec sententia longe maiore probabilitate gaudet. Sane verba S. Scripturae non admittunt diversos sensus omnino disparatos, multo minus sensus contrarios. Quodsi aliquis textus sacer revera plures contineret sensus, isti logice inter se connexi essent ita quidem, ut haberetur unicus sensus litteralis sub diversis respectibus consideratus, vel aliis verbis: isti diversi sensus in unum generalem et completum sensum conflari possent. Unde admitti possunt in sacris Litteris *loci fecundi,* qui *implicite* plures sensus continent, vel tamquam partes in toto, quatenus terminus generalis plures conceptus speciales comprehendit, vel tamquam *sensum consequentem,* qui ope ratiocinii e sensu litterali eruitur.

Sensus consequens, quia non formaliter, sed tantum virtualiter alicui loco S. Scripturae inest, improprie tantum vocari potest sensus biblicus. Hoc ipse Christus Dominus usus est, qui ex eo, quod Deus semetipsum vocavit Deum Abrahae, Isaac et Iacob (Exod.

3, 6) concludit Patriarchas adhuc vivere, ergo eorum animas esse immortales, cum Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium (Mt. 22, 23).

Cavendum tamen, ne e verbis sacrae Scripturae deducatur sensus, qui in ipsis nullomodo continetur; sic e. g. perperam egit ille concionator, qui ex eo, quod Christus vocatur filius *primogenitus Mariae* (Luc. 2, 7), demonstravit nos esse filios Mariae, tali usus ratiocinio: Quia Maria praeter Iesum alios filios carnales non habuit, nos gratia regenerati sumus filii eius, secus Christus non posset dici filius primogenitus. Vox enim « primogenitus » est terminus *legalis*, qui semper adhibetur in sacris Litteris ad designandum filium, qui primus nascitur (qui aperit vulvam matris), etiamsi alii filii non sequuntur, nam filius primogenitus consecratus erat Domino et debebat pretio redimi.

4. *De sensu spirituali.*

Sensus spiritualis sive *realis* (quia rebus expressus) habetur, quando res verbis significatae ex intentione Dei, primarii sacrarum Litterarum auctoris, iterum alias res vel veritates significant; cfr. *Doctorem Angelicum* I q. 1 a. 10 et Quodl. VII q. 6 a. 14: « Manifestatio vel expressio alicuius veritatis potest fieri de aliquo rebus et verbis, in quantum scil. verba significant res et una res potest esse figura alterius ».

Sensus spiritualis est exclusive opus Spiritus Sancti, solus enim Deus potest actiones hominum et res gestas ita ordinare et dirigere, ut fiant imagines propheticae rerum futurarum vel symbola altioris veritatis; unde dicit *S. Thomas* Quodl. VII q. 6 a. 14: « Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius »; similiter S. Th. q. 1 a. 10: « Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam

homo facere potest, sed etiam res ipsas ». Iuxta Patres sensus spiritualis est veluti anima quae informat corpus S. Scripturae i. e. litteram; vel conferunt sensum litteralem lampadi, spiritualem vero luci fulgenti, vel dicunt sensum litteralem esse corticem, spiritualem dulcem nucleum. Ita scribit *S. Hieronymus* ep. 58 ad Paulinum n. 9 (PL. 22, 585): « totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est »; et alibi (Comm. in Eccle. 12, 9 s., PL. 23, 1113): « quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis (Scripturis) divinus sensus altius perscrutandus ».

Sensus spiritualis vocatur etiam *mysticus* (a verbo μύειν = claudere, abscondere), quatenus res verbis expressae abscondunt in se veritates altiores. *Tres* solent distingui *species* sensus spiritualis: *typicus* qui improprie dicitur etiam *allegoricus, moralis* sive *tropologicus, anagogicus,* quos optime describit *S. Beda Venerabilis* de tabernaculo I, 6 (PL. 91, 410): « *Allegoria* est, cum verbis sive rebus mysticis praesentia Christi et Ecclesiae sacramenta signantur. *Tropologia* (1) i. e. moralis locutio ad institutionem et correctionem morum sive apertis sive figuratis prolata sermonibus respicit. *Anagoge* (2) i. e. ad superiora ducens locutio, quae de praemiis futuris et ea quae in caelis est, vita futura sive mysticis sive apertis sermonibus disceptat ». Brevius *S. Augustinus* de Gen. ad lit. I n. 1 (PL. 34, 247): « In

(1) *S. Bonaventura* prooem. in Centil.: « quando per id quod factum est, datur intelligi aliud quod faciendum est ».

(2) ἀναγωγικός = sursum ferens, animum ad res sublimes advertens; *S. Bonaventura*, serm. 13 in hexaem.: « quasi sursum ductio, quando per unum factum intelligendum est aliud quod desiderandum est, scilicet aeterna felicitas beatorum ». Apud Patres scholae Antiochenae ἀναγωγή sive ἀναγωγία significat interpretationem quae excedit sensum litteralem, i. e. indagationem sensus spiritualis sive typici.

libris autem omnibus sanctis intueri oportet quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrantur, quae futura praenuntiantur, quae agenda praecipiantur vel moneantur ».

Sic unus sensus spiritualis tribus quodammodo radiis diffunditur, quibus illustrantur historia redemptionis et regni Dei in terra, vita moralis fidelium, consummatio singulorum et totius coetus credentium in aeterna beatitudine. Medio aevo doctrina de triplici vel si additur sensus litteralis, de quadruplici sensu S. Scripturae hisce versibus comprehendi solebat:

> « Littera gesta docet, quid credas allegoria.
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia » (1).

Sat multi auctores medii aevi huic sententiae de *quadruplici sensu* adhaerebant, e. g. *Hildebertus Cenomanus* († 1134) serm. 112 de divers. (PL. 171, 862): « Si morum doctrinam, si allegoriarum intelligentiam, si historiarum veritatem, si anagoges revelationem requirimus, totum ibi (i. e. in S. Scriptura) reperimus »; *Alexander Halensis* († 1245) Summa q. 1 membr. 2 a. 4: « Modus sive intellectus S. Scripturae quadruplex est, scil. historicus, allegoricus, moralis vel tropologicus et anagogicus »; *S. Bonaventura* serm. 13 in hexaem; *Duns Scotus* Comm. in l. I Sent. q. 3; *B. Albertus Magnus* S. Th. I tract. 1 q. 5 membr. 4: « Quatuor sunt modi exponendi Scripturam: allegoricus, tropologicus, anagogicus, qui tres sensus stant in sensu litterali, tamquam in fundamento »; *S. Thomas* I q. 1 a. 10; Quodl. VII q. 6 a. 2 (2). *Nicolaus Lyranus* op. cit.

(1) Hi versus reperiuntur in opere « Catholicon » *Ioannis Balbi* (1286), cfr. *S. Berger*, La Bible au seizième siècle, Paris 1879, 26 sq.; deinde apud *Nicolaum Lyranum* prol. I in Postilla in universa Biblia (vide PL. 113, 28). Notari tamen debet sensu litterali non solum res gestas exprimi, sed et dogmata fidei et praecepta moralia, neque credenda semper sensu allegorico sive typico proponi.

(2) Etiam interpretes hebraei quadruplicem statuebant sensum: פְּשַׁט (simplicem sive obvium), סוֹד (arcanum), דְּרוּשׁ quaesitum i. e.

Alii vero quibus praeluserunt *Clemens Alexandrinus* Strom. I 426 et *Origenes, triplicem* tenent sensum sacrarum Litterarum. Audiatur *S. Hieronymus* ep. 120 (al. 150) ad Hedib. c. 12 (PL. 22, 1005): « Triplex in corde nostro descriptio et regula Scripturarum est. Prima ut intelligamus eas iuxta *historiam*, secunda, iuxta *tropologiam*, tertia iuxta *inelligentiam spiritualem*. In historia eorum quae scripta sunt, ordo servatur. In tropologia de littera ad maiora consurgimus, et quidquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum, et ad animae nostrae emolumenta convertimus. In spirituali θεωρίᾳ ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et caelestibus disputamus ». *S. Gregorius M.* ep. ad Leandr. n. 4 (PL. 75, 514): « Nam primum quidem fundamenta historiae ponimus, deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per moralitatis gratiam quasi superducto aedificium colore vestimus ». Eadem divisio sensus biblici invenitur apud *Angelomum Luxoviensem* O. S. B. († 1141) de Script. 3-5 (PL. 115, 110); *Hugonem a S. Victore* († 1141) de Script. 3-5 (PL. 175, 11-15); *Petrum Comestorem* († 1198), hist. schol. prol. (PL. 198, 1053).

Tritum exemplum pro quadruplici sensu biblico praebet urbs *Ierusalem*, quae in sensu litterali designat sanctam civitatem, in sensu typico Ecclesiam N. T., in sensu morali animam hominis, in sensu anagogico congregationem sanctorum in caelo (cfr. Apoc. c. 21); ita *S. Gregorius Magnus* passim in libb. Moralium.

Recentiores auctores (1) *duplicem* tantum statuunt

---

logica conclusione e textu erutum) et רָמַז (sensum qui innuitur), sed isti quatuor sensus non correspondent quatuor sensibus ab interpretibus christianis admissis. Cfr. *E. König*, Hermeneutik des Alten Testamentes, Bonn 1916, 20 sq.

(1) E. g. *Pesch*, De inspiratione 570 sq.; *I. Mader*, Kompendium der bibl. Hermeneutik 30; cfr. etiam *L. Delporte*, Les principes de

sensum sacrarum Litterarum, scil. litteralem sive historicum et typicum; sensus moralis saepius non est nisi exemplum adductum ad illustrandam veritatem moralem vel etiam pura accommodatio; sensus anagogicus non distinguitur a sensu typico secundum formalem rationem significandi, sed tantum secundum obiectum; si nempe praefiguratur Christus et regnum eius in terra exsistens, habetur sensus typicus, si vero praenuntiatur consummatio finalis regni Christi sive vita aeterna dicitur sensus anagogicus.

5. *De sensu typico.*

Sensus *typicus* consistit in eo, quod res vel facta Veteris Testamenti verbis expressa alias res, imprimis opus redemptorium Christi et sortes regni eius praefigurant. Nomen desumptum est ex ipsa sacra Scriptura; iuxta S. Paulum (Rom. 5, 14) Adam erat *forma* (τύπος) futuri scil. Adami, i. e. Christi; I Cor. 10, 6 Apostolus dicit: Haec autem in figura (τύποι ἡμῶν = typi nostri) facta sunt nostri; S. Petrus (I, 3, 21) vocat baptismum *antitypum* (ἀντίτυπον) diluvii. Exsistentiam sensus typici negabant *Marcionitae*, qui dictitabant revelatorem Veteris Testamenti fuisse demiurgum severum, auctorem Novi Foederis deum bonum (negato nexu utriusque Testamenti necessario negari debet ratio typica antiquae Legis), *Lutherus* (1), *Socinus* (2), iuxta quem vaticinia V. T. in Scripturis N. T. allegantur ad ostendendam

---

la typologie biblique et les éléments figuratifs du sacrifice de l'Expiation, Ephemerides Theologiae Lovanienses III (1926) 307-327; imprimis 310 sqq. Etiam sensus litteralis sec. *argumentum* dividi potest in historicum, allegoricum, tropologicum, anagogicum, cfr. *Fernandez*, Institutiones biblicae I 295.

(1) Cfr. *H. Grisar* S. I., Luther II Freiburg 1911, 727; III 1912, 371; *König*, Hermeneutik des A. T. 23 sq.

(2) Vide *H. Denzinger*, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II Würzburg 1857, 255.

rerum similitudinem, et ita accommodantur ad propositum illius scriptoris et quodammodo conferuntur cum eo quod ille affirmat, et in genere auctores rationalistae qui negant divinam inspirationem sacrarum Litterarum (1).

Admittendum esse sensum typicum in libris sacris (saltem Veteris Testamenti) constat ex ipsa *S. Scriptura* et ex *traditione Ecclesiae.*

1) Ex *sacra Scriptura* : Christus Ionam prophetam dicit imaginem Messiae resurgentis (Mt. 12, 39 sq.), serpentem aeneum (Num. 21, 9) typum crucifixi (Io. 3, 14) ; agnus paschalis (Exod.12. 46 ; Num. 9, 12) praefigurat Christum, cui crura non franguntur (Io. 19, 36) ; iuxta Apostolum (Col. 2, 17 ; Hebr. 8, 5 et 10, 1) sacrificia et instituta V. T. sunt umbra (σκιά) futurorum bonorum ; transitus maris rubri est typus baptismi (I Cor. 10, 1-2) ; cfr. supra p. 109.

2) *Ex traditione Ecclesiae:* Ab ipsis primordiis Ecclesiae Patres et scriptores christiani typicam explicationem sacrarum Litterarum colebant. *S. Iustinus,* dial. 114 (PG. 6, 737) distinguit prophetias per res (facta) et per verba : « Interdum Spiritus sanctus efficiebat, ut aliquid fieret, quod typus erat futuri (ὁ τύπος τοῦ μέλλοντος γενέσθαι ἦν), interdum autem et sermones pronuntiavit de futuris rebus » ; *Tertullianus* utitur sensu typico contra Iudaeos (adv. Iud. 14, PL. 2, 679 sqq.) et Gnosticos (contra Marcion. V, 7, PL. 2, 519) ;

(1) E. g. **G. L. Bauer,* Hermeneutica Sacra V. T. Lipsiae 1797 15 sqq., qui typos vocat fanaticorum hominum deliria et dicit Apostolos qui interdum locos V. T. in sensu typico explicant, sese accommodasse ad interpretandi rationem illo tempore inter Iudaeos receptam. Sensum typicum (mysticum) admittunt * *S. Glassius,* Philologia sacra, Ienae 1623 ; **B. S. Cremer,* Typologia, Amsterdam 1727 ; * *I. D. Michaelis,* Entwurf der typischen Theologie [2], Bremen 1763 ; * *F. A. G. Tholuck,* Das alte Testament im neuen Testament, Hamburg 1839 ; * *H. Olshausen,* * *Franc. Delitzsch,* * *E. W. Hengstenberg,* etc.

S. Cyprianus ad Magn. ep. 76, n. 2 (PL. 3, 1186), de bono patientiae 10 (PL. 4, 652 sq.) allegat typos, iuxta *S. Irenaeum* IV 25, 3 (PG. 7 1051), Abraham praefigurabat duo Testamenta; *S. Augustinus* de vera rel. 50 n. 99 (PL. 34, 166) discernit inter allegoriam facti et sermonis; ipse contra Manichaeos repudiantes Scripturas V. T. strenue defendit significationem typicam antiqui Foederis, e. g. contra Faust. XII, 37 (PL. 42, 273): « Quis potest omnia quae in illis veteribus Legis et Prophetarum libris figurate Christum annuntiant, quantalibet brevitate perstringere? Nisi forte quis putat ingenio fieri, ut ea quae rerum ordine per sua tempora cucurrerunt, ad Christi significationes interpretando vertantur. Hoc forte Iudaei possunt dicere sive Pagani; eis autem qui se Christianos putari volunt, premit cervicem apostolica auctoritas dicens: Omnia haec in figura contingebant illis; et: Haec omnia figurae nostrae fuerunt ». Iuxta *S. Hieronymum* ep. 53 ad Paulin. n. 8 (PL. 22, 545 sq.) Iesus Nave typus Domini non solum gestis, sed etiam nomine... Ecclesiae caelestisque Ierusalem spiritualia regna describit, David Christum lyra personat, Esther in Ecclesiae typo populum liberat de periculo etc. In *antiquis monumentis christianis*, praecipue in picturis coemeteriorum, videmus fidei nostrae mysteria expressa typis e Vetere Testamento depromptis; sic e. g. Ionas apparet ut figura sepulturae et resurrectionis Christi, Isaac praefigurat Christi sacrificium etc.

In *sacra Ecclesiae liturgia* frequentissimus fit usus sensus typici V. T.: transitus maris rubri exhibet figuram baptismi, cfr. hymnum paschalem (in antiqua sua forma): « Ad coenam Agni providi et stolis albis candidi post transitum maris rubri Christo canamus principi »; in Sequentia missae festi Corporis Christi canitur: « In figuris praesignatur, dum Isaac immolatur, Agnus Paschae deputatur, datur manna Patribus ». Unde dicit Leo XIII in litteris encyclicis « Providentis-

simus Deus »: « Talem interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit » (1), *Eugenius IV* in decreto pro Iacobitis: « Firmiter credit (sacrosancta Romana Ecclesia), profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti seu Mosaicae Legis, *quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta,* significato per illa Domino Nostro Iesu Christo adveniente cessasse » (2).

Fundamentum sensus typici est intimus nexus inter Vetus et Novum Testamentum, quae eundem habent auctorem Deum; quo fit, ut Vetus Testamentum sit paedagogus in Christum (Gal. 3, 14) et Christus sit finis legis (Rom. 10, 4); ideo iuxta *Clementem Alex.* Paed. I, 7 (PG. 8, 321) Novum Testamentum Veteri Litterae est impressum (παλαιῷ κεχαραγμένη γράμματι); *Origenes* in Mt. t. X 452, n. 9 (PG. 13, 856 sq.) vocat Christum pretiosam margaritam quae invenitur in agro Veteris Testamenti; mira brevitate rem exprimit *S. Augustinus* quaest. in Hept. II 73: « in Vetere Testamento Novum latet et in Novo Vetus patet »; cfr. de catech. rud. 4: « in Vetere Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris ».

Sensus typicus potest esse *proprius* vel *improprius* sicut sensus litteralis. Est *proprius*, si verba retinent suam naturalem significationem, e. g. Exod. 12, 46: « nec os illius (agni) confringetis » et Io. 19, 36: « Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo »; utrobique confractio ossium in sensu proprio intelligitur.

Sensus typicus est *improprius*, si verba in sensu figurato sumenda sunt, e. g. Ps. 117, 22: « Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli »; et Mt. 21, 42; Luc. 20, 17; Act. 4, 11: « Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui

(1) Enchiridion Biblicum 36 n. 97.
(2) Ibidem 11 n. 34.

factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus »; haec verba in sensu litterali improprio referuntur ad Sion vel populum Israel a gentibus contemptum, in sensu typico ad Christum a Iudaeis reprobatum.

Ad typum *tria* requiruntur: 1) *Realis exsistentia* rei vel personae, quae est figura alterius; hinc typus differt a metaphora et allegoria, quae sunt merae imagines sine historica veritate; saltem non requiritur, ut allegoriae subsit factum historicum. Quodsi sensus typicus vocatur *allegoricus*, non debet confundi cum allegoria proprie dicta; haec denominatio fundatur in verbis S. Pauli Gal. 4, 24: « quae sunt per allegoriam dicta (ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα), in quem locum *S. Ioan. Chrysostomus* bene animadvertit: καταχρηστικῶς τὸν τύπον ἐκάλεσεν ἀλληγορίαν = praeter usum typum vocavit allegoriam, nam, ita *S. Thomas* lect. 7 in cap. 4 Gal.: allegoria proprie dicta est modus loquendi, quo aliquid dicitur et aliud intelligitur.

Res quae a Deo assumitur in signum alterius rei, dicitur *typus* (τύπος = imago expressa, effigies, forma, Rom. 5, 14), *umbra* (σκιά Hebr. 8, 5), *parabola* (ib. 9, 9; 11, 19), res vero significata vocatur *antitypus* (ἀντίτυπος Gegenbild, I Petr. 3, 21: baptismus antitypus diluvii). Prout typus est persona, res, factum vel praeceptum, distinguntur typi *personales* (e. g. Melchisedech), *reales* (agnus paschalis, manna, serpens aeneus), *legales* (varia praecepta legalia, e. g. os eius non confrigent, Exod. 12, 46; Num. 4, 12 cfr. Io. 19, 36).

2) Requiritur *similitudo* inter rem quae typus est et rem typo praefiguratam. Neque tamen necessarium est, ut typus et antitypus sub quolibet respectu inter se similes sint; quare *S. Hieronymus* in Os. proph. 3 11 (PL. 25, 960) dicit: « Qui ex parte typi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia quae fecisse narrantur, in typo fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat, quod si totum praecedat in typo, iam non est typus, sed historiae veritas appellanda est ». Interdum aliqua res

non prout in se exsistit, sed iuxta modum quo enarratur vel describitur in S. Scriptura, praefigurat aliam rem, quatenus ea quibus typus ab antitypo differt, silentio praetereuntur, ut similitudo inter utrumque clarius appareat. Sic e. g. Melchisedech sec. Hebr. 7, 1 sqq., est imago *aeterni* pontificis Christi, quia in S. Scriptura (Gen. 14, 17) praeter consuetudinem inducitur sine patre et matre et genealogia, licet certe parentes et successores habuerit. Talis typus solet vocari *verbalis*.

2) Demum requiritur *intentio divina* per eam rem praefigurandi vel significandi aliam; sic Melchisedech dicitur esse assimilatus (ἀφωμοιωμένος Hebr. 7, 3) Christo, i. e. Deus vitam magnorum virorum V. T. ita disposuit et per hagiographos in sacris Litteris descripsit, ut appareant imagines Messiae futuri.

Sensus typicus quam maxime invenitur in Vetere Testamento quo adventus Christi praeparabatur (1).

Quaeri potest, an etiam in Novo Testamento admittendi sint typi.

Cum typus ex sua natura sit imago sive umbra ac per consequens imperfectior antitypo, certe negari debet in Novo Testamento inveniri typos messianicos, immo plures auctores omnem typum e Novo Testamento excludunt (2), cum hoc exhibeat perfectam revelationem

(1) Cfr. *Reinhard*, Das Alte Testament in seiner hohen Bedeutung als Vorbild des Neuen, Coblenz 1863; *Ph. Krementz*, Israel Vorbild der Kirche, Freiburg 1865; Grundlinien der Geschichtstypik der hl. Schrift, ib. 1875; *Meignan*, L'ancien Testament dans ses rapports avec le nouveau, t. II, Paris 1896, Introduction XIX sqq. Instruction sur les types ou figures de la Bible; *H. Weiss*, Die messianischen Vorbilder im A. T., Freiburg 1901; *A. Schulte*, Die messianischen Weissagungen des A. T. nebst dessen Typen, Paderborn 1908, 164-208; *Th. Breukelmann*, Die Vorbilder des A. T. in Beziehung auf das N. T. zusammengestellt, Paderborn 1908.

(2) E. g. *Patritius*, De interpretatione Script. S., Romae 1876, I c. 11 q. 3 n. 335-350; *Gilly*, Introductio II 54; *Tronchon*, Introduction générale 561 sqq.; typos *admittunt Ubaldi*, Introductio III, 101-105; *Krementz*, Grundlinien 28-49; *Cornely*, Introductio I 562 sq.;

Dei cui non succedet altior oeconomia salutis; quodsi de typis sermo est, intelligi debent figurae *futurae beatitudinis*, ergo sensus *anagogicus*. Ita sumenda sunt verba *S. Ambrosii* in Ps. 38 n. 25 (PL. 14, 1101): « Primum igitur umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas: umbra in lege, imago vero in evangelio, veritas in caelestibus ». Simili modo docet *S. Thomas* I q. 1 a. 10: « Lex vetus figura est novae legis, et ipsa nova lex est figura futurae gloriae » (1). Sic *S. Augustinus* capturam piscium post resurrectionem Domini (Io. 21) in sensu anagogico explicat (serm. 248-253, PL. 38, 1158-1162).

Verum sane est in ipsa vita Christi quodam modo praefigurari futuras sortes Ecclesiae. Christus enim et Ecclesia unam formant personam mysticam, unum corpus, cuius caput est Christus, cuius membra sunt fideles; hinc S. Paulus I Cor. 12, 12 Ecclesiam simpliciter vocat Christum. Christus vivit in Ecclesia quae prosequitur opus redemptionis a Christo inchoatum. Quid mirum ergo, si Ecclesia eodem modo persecutiones patitur, tribulatur, triumphat sicut Christus? Unde vita Christi est praeclarum exemplar quod Ecclesia et singuli fideles pro modulo suo imitari debent. In hoc sensu sumendum est effatum *S. Thomae* l. c.: « In nova etiam lege ea quae in capite sunt gesta, sunt signa eorum quae nos agere debemus », ubi bene monet *Cornely* (2) haec exemplaria rectius quam typos appellari. Alia e. g. miracula Salvatoris magis accedunt ad rationem typi, quatenus habent significationem *symbolicam*, sicut Patres passim docent: e. g. *Lactantius*,

---

cfr. Compendium 135; *Schmid*, De inspirationis Bibliorum vi et ratione 203 sqq.; *Zapletal*, Hermeneutica 46 sqq.; *Székely*, Hermeneutica Biblica 251 sqq.; *Döller*, Compendium Herm. 32 sq.; *Delporte* l. c. 320 sq.

(1) In N. T. inveniri typos anagogicos concedit *Fernandez*, Institutiones biblicae I 305.

(2) Introductio I 563.

Div. inst. IV, 26 (PL. 6, 531) : « Quae igitur tum faciebat praesens, imagines erant futurorum ; quae in laesis adfectisque corporibus exhibebat, ea spiritualium figuram gerebant » ; *S. Augustinus* serm. 98 n. 3 (PL. 38, 592) : « Dominus noster Iesus Christus ea quae faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi ». Sic e. g. Patribus navicula Petri quae fluctibus maris iactatur, figura est Ecclesiae persecutionum tempestate agitatae (cfr. *Tertullian.* de bapt. 12).

6. *De extensione sensus typici.*

Duplex in hac re excessus est vitandus. Saeculis 16. et 17. plures auctores tum catholici tum imprimis protestantes secuti vestigia *Origenis* (cfr. de princ. IV, 20-26 PG. 11, 385-400) ubique in Vetere Testamento admittebant typos omnemque personam, actum, rem censebant esse figuram ; hinc vocabantur *Figuristae*. Verum est Patres plerumque in minimis rebus invenisse sensus absconditos. Sic e. g. *S. Io. Chrysostomus* hom. 1 de statuis 1 (PG. 49, 17) dicit : « Non est syllaba vel apiculus in sacris Litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus » ; et *S. Beda* de tabern. I, 6, 1 (PL. 91, 416) : « Omnia in figura contingebant illis : omnia, non solum facta vel verba, quae sacris Litteris continentur, verum etiam locorum et horarum et temporum situs et ipsarum quoque in quibus gesta vel dicta sunt, circumstantiae rerum ».

Alii, qui *Antifiguristae* dicuntur, non admittunt in V. T. typos, nisi illis in locis qui ab ipsis hagiographis N. T. in sensu typico explicantur.

Veritas stat in medio. Non est textus S. Scripturae qui non habeat sensum litteralem, neque tamen in omnibus locis admittendus est sensus spiritualis sive typicus. Hoc enim impossibile est ; quisnam e. g. esset sensus typicus verborum : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo » (Deut. 6, 5)? Quis sanae

mentis quaeret sensum typicum in asinis Sauli (I Sam. 9, 3. 17), in cane Tobiae (Tob. 11, 9), in camelis Eliezer (Gen. 24, 10) (1)? Qui omnia vellet typice explicare, sacram Scripturam vel potius exegesim catholicam ludibrio exponeret. Optime *S. Augustinus,* qui tantopere indulgebat interpretationi mysticae sacrarum Litterarum, media via incedendum esse ostendit, de Civ. Dei XVII, 3 n. 2 (PL. 41, 526) : « Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id quo eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt ». Clare et concise *Doctor Angelicus* Quodl. VII a. 15 ad 5 eandem doctrinam proponit : « Quatuor isti sensus (scil. lit. alleg. mor. anag.) non attribuuntur S. Scripturae, ut in qualibet eius parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor ; quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum ». Hic unus sensus non potest esse nisi sensus litteralis, qui est fundamentum sensus spiritualis.

Effata Patrum, quae in contrarium afferuntur, procedunt ex admiratione infiniti thesauri in sacris Litteris absconditi neque semper ad rigorem litterae accipienda sunt (2).

Antifiguristarum sententia adversatur Patribus qui sensum typicum inveniunt etiam in locis, qui ab hagiographis non in hoc sensu explicantur, et etiam praxi

(1) Cfr. *Patrizi,* De interpretatione S. Script. I 207.

(2) Allegatur etiam I Cor. 10, 11: Haec autem *omnia* in figura contingebant illis, cfr. *F. X. Schouppe,* Cursus Scripturae Sacrae I 7. ed. Bruxellis (sine anno) 87: « unde merito concludunt interpretes in omnibus eventibus mysteria ac typos contineri »; sed haec verba iuxta contextum referuntur ad iudicia et poenas Israelitarum ab Apostolo in praecedentibus indicatas, quibus praefiguratur punitio christianorum peccantium; praeterea vocem πάντα omittunt codices A. B. 17, *Weiss, Tischendorf, Nestle.*

Ecclesiae quae in liturgia frequenter utitur sensu typico. In genere quoad sensum typicum sequentes regulae statûi possunt:

1) Sensus typicus *certe* habetur illis in locis, in quibus vel ab auctoribus sacris (1) vel a *constanti traditione Ecclesiae* adesse asseritur, nam hagiographi sub inspiratione divina et Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti infallibiles sunt in S. Scriptura interpretanda (2).

2) Probabiliter potest admitti sensus typicus, si adest analogia manifesta inter res et personas utriusque Testamenti, praesertim si ipsa Scriptura vel traditio fundamentum tribuit; e. g. cum constet David esse figuram Christi, licebit victoriam ab ipso de Goliath reportatam transferre ad victoriam Christi super diabolum; Joseph venditus a fratribus typus est Iesu triginta argenteis a Iuda venditi; arbor vitae in medio paradisi plantata praefigurat Eucharistiam.

Quod attinet interpretationem sensus typici, haec sunt observanda:

1) Cum similitudo inter rem praefigurantem et rem praefiguratam sit fundamentum sensus typici, a recte intellecto sensu litterali dependet intelligentia sensus typici. Quodcumque non exprimitur sensu litterali, nequit sumi in sensu typico, neque unquam interpretatio typica debet esse contraria sensui litterali. Sic e. g. minus placent, quae *S. Gregorius Magnus* exponit in hom. 22 in Evang. (PL. 76, 1174-1181): Ioannes qui prior venit ad sepulcrum, sed non intrat, significat

(1) Auctores sacri interdum *explicite* interpretantur typos V. T., e. g. S. Paulus I Cor. 10, 1-6; interdum *implicite* tantum insinuant sensum typicum, e. g. Apoc. 2, 7: «Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in Paradiso Dei mei».

(2) *Delporte* l. c. 317 scribit: «il faut bien reconnaître qu'il sera extrêmement difficile de découvrir des types qui ne soient pas mentionnés comme tels, dans l'Écriture.» Iuxta ipsum unicum forsitan exemplum typi per solam traditionem affirmati est *Iosue*.

synagogam quae credere in mortuum noluit, Petrus vero designat Ecclesiam : nam cum disertis verbis dicatur Ioannem visis linteaminibus *credidisse,* scil. in resurrectionem Iesu, dum de fide Petri ne verbulum quidem fiat, quomodo Ioannes potest significare populum Iudaicum incredulum?

2) Typus est mera umbra, et per consequens imperfectior re quae ipso praefiguratur; ideoque rem praefiguratam sub uno tantum alterove respectu significat, et ex altera parte non omnia quae dicuntur de typo, possunt simpliciter transferri ad antitypum. Sic e. g. Agar et Sara praefigurant duo Testamenta (Gal. 4, 22-31), neque tamen omnia quae de his duabus uxoribus Abrahae narrantur, in sensu typico applicari possunt duobus Testamentis. *S. Augustinus* contra Faust. XXII, 94 (PL. 42, 463) pulcherrima comparatione hoc principium interpretationis illustrat : « Sicut enim in citharis et huiusmodi organis musicis non quidem omnia quae tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordae, caetera tamen in toto citharae corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur... ita in his propheticis narrationibus quae de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid iam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit unde illa significantia tamquam sonantia conectantur » [1].

Neque tamen e contrario nimis angusti limites statuendi sunt. Quodsi constat adesse typum, licebit omnia momenta similitudinis exponere. Sic e. g. transitus maris rubri est figura prophetica baptismi (I Cor. 10, 1 sq.); hinc multae circumstantiae illius facti interpretationem typicam admittunt neque inepte ageret, qui diceret mare praefigurare fontem baptismalem, Aegyptios undis absorptos peccata sacramento baptismi

[1] Hanc comparationem fusius evolvit *Hugo Victorinus*, Erud. didascalica V, 2 (PL. 176, 789 sq.).

destructa, Pharaonem, e cuius servitute Israelitae liberati sunt, esse figuram diaboli etc. Quia agnus paschalis praefigurabat Christum (Io. 19, 33), licitum est in singulis quae de illo agno praescripta erant, sensum typicum quaerere, cfr. *S. Thom.* I II q. 105 a. 5 ad 2. Cum Melchisedech Hebr. 7, 1 sqq. exhibeatur ut typus Christi, licebit cum pluribus Patribus rationem typicam invenire etiam in panis et vini oblatione (1).

Antiquissimam collectionem typorum exhibet *Clavis* a Cardinale *Pitra* O. S. B. in Spicilegio Solesmensi II III Parisiis 1855 edita, quae tamen non est versio operis *Melitonis Sardensis* de quo loquitur *Eusebius* hist. eccl. IV, 26 (PG. 20, 392). E medio aevo mentione digni sunt: « Libri tredecim continentes utriusque Testamenti allegorias », qui inter opera *Hugonis Victorini* (PL. 175, 633 sqq.) recensentur, demum magnum opus *Hieronymi Cervarii Laureti* (Lloret) O. S. B., Sylva seu hortus floridus allegoriarum totius S. Scripturae, Barcinonae 1570; Lugduni 1622; Coloniae 1630; 1681; 1701 etc.

7. *De vi probativa diversorum sensuum.*

1) Summam vim probativam habet *sensus litteralis proprius*, quia ipso veritas dogmatica vel moralis directe et immediate enuntiatur, unde hic sensus certe cognitus praebet argumentum quod nullo modo recusari potest.

2) Etiam *sensus consequens* qui ope simplicis ratiocinii e sensu litterali derivatur, plenam vim probandi habet, quatenus veritas hoc modo deducta necessario nexu cum veritate sensu litterali expressa cohaeret ac

(1) Iuxta *Delporte* l. c. 318, 323 illa dumtaxat quae in ep. ad Hebr. indicata sunt, typice exponi licet; at quaeri potest, utrum auctor epistolae habuerit intentionem omnia elementa typica quae in figura Melchisedech inveniri possunt, proponendi an illa tantum quae scopo epistolae consentanea erant.

propterea Deo, primario auctori S. Scripturae qui comprehensivo intuitu omnia novit, attribui debet.

3) *Sensui figurato* sive litterali improprio competit vis probandi, quando certo constat locutioni figuratae determinatum sensum subesse; cfr. e. g. promissionem et institutionem Primatus.

4) Quaeritur, an etiam *sensui typico* insit vis probativa? Patres et *S. Thomas* videntur hoc negare. Sic e. g. *S. Hieronymus* in Mt. 13, 33 (PL. 26, 94) dicit: « Numquam parabolae et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere »; *S. Thomas* I q. 1 a 10 ad 1 asserit: « *ex quo* (sensu litterali) *solo potest trahi argumentum*, non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur ». Unde concludit *Bonhomme* (1): « Il ne reste donc, comme vrai sens biblique du théologien, que le sens littéral », nam iuxta Doctorem Angelicum « sensus litteralis est quem auctor intendit », ad quae verba *Billuart* de fide diss. I a. 7 notat: « Quando ergo S. Thomas dicit sensum litteralem esse quem auctor intendit, intelligit de prima et proxima et certiori intentione ».

Attamen certum omnino est etiam sensui typico, dummodo de exsistentia eius in aliquo textu S. Scripturae constet, competere vim probandi. Haec assertio demonstratur:

1) ex *agendi ratione hagiographorum* N. T. qui interdum arguunt e sensu typico; sic e. g. S. Matthaeus demonstrat Iesum esse Messiam ex typis V. T. e. g. 2, 15: « Ex Aegypto vocavi filium meum », quod dictum Oseae prophetae (11, 1) iuxta litteram intelligi debet de liberatione populi Israel e servitute Aegypti; ep. ad Hebr. 1, 5 ad probandum Christum esse superiorem angelis citantur verba Nathan (II Sam. 7, 14): « ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium », quae in sensu litterali referuntur ad Salomonem.

(1) Revue Thomiste XVI (1908) 23.

2) ex *ratione theologica:* Sensus typicus, ut ex superius dictis patet, aeque intentus est a Spiritu Sancto ac sensus litteralis (1).

Verumtamen in usu dogmatico sensus spiritualis sive typici summa cautione ac prudentia opus est; tunc tantum ex ipso cum certitudine licet arguere, quoties ex *ipsa S. Scriptura* vel ex *constanti traditione Ecclesiae* constat alicui textui certum quemdam sensum typicum convenire. Patres qui vim probativam sensus typici negare videntur, loquuntur non de quocumque sensu typico, sed de minus certo vel obscuro, sicut apparet ex verbis S. Hieronymi superius allegatis; hinc *S. Augustinus* ad Vincent. Rogat. 1 scribit: « Quis autem non imprudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat manifesta testimonia quorum lumine illustrentur obscura? ».

Sane Doctor Angelicus nolebat improbare agendi rationem Apostolorum vel negare auctoritatem sensus typici a Deo intenti. Apostolis qui sub inspiratione S. Spiritus scribebant, de sensu typico certo constabat ideoque poterant illum adhibere in suis argumentationibus, nos vero non habemus eandem certitudinem rem vel personam aliquo textu indicatam esse typum alterius rei vel personae *determinatae*. Sensus enim typicus fundatur in similitudine inter figuram et rem praefiguratam. Iamvero aliqua res pluribus aliis rebus sub diversis rationibus similis esse potest, unde nequit semper cum certitudine dici, quaenam ex his diversis rebus praefigurata sit. S. Thomas premens vestigia S. Augustini rem hoc exemplo illustrat: « Leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum: unde per hoc quod aliquid de leone dicitur in S. Scriptura, ad

(1) Ita *Trochon*, Introduction générale I, 568 sq.; *Zapletal*, Hermeneutica, 49 sqq.; *Székely*, Hermeneutica biblica, 258 sqq.; *Grivnácky*, Herm. bibl., 11; *Döller*, Compendium 34; *Pesch*, De inspiratione 167, not. 3; 569 sq.

neutrum potest fieri processus in S. Scriptura argumentando ». Ergo, ita concludit Aquinas Quodl. VII q. 6 n. 14 ad 4: « non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed *ex ipsa natura similitudinis*, in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate ».

Ceterum usus dogmaticus sensus spiritualis non adeo necessarius est, nam sicut optime animadvertit idem Doctor Angelicus I q. 1 a. 10 ad 1: « nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat ». Hinc et theologi vix unquam sensum spiritualem *solum* ad probandam doctrinam adhibent, sed tantum ad eam confirmandam et illustrandam.

Hoc modo iam solvitur quaestio, quisnam ex duobus S. Scripturae sensibus praeferendus sit. Ratione *originis* sunt eiusdem dignitatis, cum sensus spiritualis aeque intentus sit a Spiritu Sancto ac litteralis, ratione *significationis* sensus spiritualis qui altiores et perfectiores res et veritates designat, dignior est dicendus sensu litterali, qui ipsi in certo loco subest (e. g. agnus paschalis et Christus), sed in genere sensus litteralis altiorem dignitatis gradum obtinet, nam: *a*) est *universalior*, quia ubique in S. Scriptura habetur; *b*) *fundamentalis*, ipsi enim innitur sensus spiritualis; *c*) *certior* et ideo *d*) *efficacior* ad probanda dogmata fidei; addi demum potest sensu litterali aeque sublimes veritates exprimi (saltem in Novo Testamento) quam sensu spirituali; unde ceteris paribus sensus litteralis praeferendus et eius investigationi omne studium impendendum est. Neque tamen typica explicatio spernenda erit; hinc *Leo XIII* in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » monet: Caveat idem (interpres), ne illa negligat, quae a Patribus ad allegoricam similemve

sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur » (1); cfr. et litteras encyclicas : « Spiritus Paraclitus », quibus commendatur modestus ac temperatus usus spiritalis intelligentiae (2).

8. *De Sensu accommodato.*

Sensus accommodatus sive accommodatitius (κατὰ κόλλησιν) habetur, si verba Scripturae applicantur rebus diversis ab illis, quas auctor sacer significare voluit. Ex quo patet accommodationem non esse proprie *sensum* S. Scripturae, sed iam usu communi hoc nomen introductum est.

Possibilitas accommodationis fundatur in quadam *similitudine* inter personam vel rem quam hagiographus prae oculis habuit et aliam quae menti eius non erat praesens, sive in quadam analogia inter veritatem verbis S. Scripturae expressam et aliam ab auctore sacro non intentam. Quodsi nulla similitudo sive analogia inveniri posset, accommodatio licita non esset, nam fieret violenta detorsio sacri textus.

Quodsi haec similitudo non solis verbis sacri textus inest, sed personae vel rei, ita quidem, ut quod de ipsa dicitur, facile applicari possit alteri, habetur *accommodatio per extensionem*, e. g. si ea quae Eccli. 44, 20 dicuntur de Abraham : « Non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi » referuntur ad sanctos Pontifices. Si vero similitudo solis verbis inest, quatenus verba sacra sumuntur in sensu quem ex intentione hagiographi non habent, sed per se habere possent, accommodatio dicitur *per allusionem*, e. g. Ps. 17, 26 : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris » ; haec verba iuxta sensum litteralem significant

(1) Enchiridion Biblicum 36 n. 97.
(2) Ibidem 152 n. 499.

Deum benignum se exhibere sanctis, terribilem peccatoribus, sed haud raro usurpantur ad exprimendam veritatem hominem consortio bonorum meliorem fieri, consortio vero malorum perverti.

Non est accommodatio, 1) si verba S. Scripturae allegantur ad rem probandam tamquam argumentum a pari vel a minori ad maius, e. g. Hebr. 13, 5: « Non ego te deseram neque derelinquam » (Ios. 1, 5); sensus est: sicut Deus Iosue promisit se numquam eum derelicturum esse, ita neque vos umquam derelinquet; 2) si praecepta vel *proverbia* proferuntur, quae per se omnes respiciunt, licet in S. Scriptura ad unum tantum vel plures directa fuerint: sic e. g. verba quibus Samuel regem Saul reprehendit: « Melior est obedientia quam victimae » (I Sam. 15, 22), semper in sensu litterali usurpantur, si citantur ad inculcandam obedientiam; idem dicendum est de verbis II Cor. 12, 9: « Virtus in infirmitate perficitur » quibus Dominus consolatus est S. Paulum.

Accommodatio sub certis conditionibus licita est, nam:

1) Ipsi sacri auctores utuntur interdum verbis S. Scripturae in sensu accommodato, e. g. Paulus II Cor. 8, 15 allegat Exod. 16, 18: « Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus »; sensus Apostoli est: aequalitatem quam in colligendo manna effecit Deus per miraculum, inter christianos debet efficere caritas fraterna. Idem Apostolus Rom. 10, 18 citat Ps. 18, 5: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum ». Psalmista loquitur de revelatione Dei per rerum naturam, imprimis per corpora caelestia, S. Paulus transfert ipsius verba ad ministerium propagationis divinae veritatis per praedicationem Apostolorum. In Apocalypsi 11, 4 legitur: « Hi sunt duae olivae et duo candelabra », haec verba desumpta sunt ex Zacharia c. 4, ubi sermo est de summo sacerdote Iesu, filio Iosedech

et de Zorobabel; vates Novi Testamenti his verbis designat Henoch et Eliam.

2) Ecclesia in sacra liturgia frequenter utitur accommodationibus, praecipue accommodationibus per *extensionem;* sic laudes Patrum V. T. Eccli. 40-50 applicat sanctis christianis; ea quae in lib. Prov. 8 et Eccli. 24 dicuntur de Sapientia divina, refert ad B. Virginem Mariam. Sancti exemplum Ecclesiae imitati sunt: cum essent apprime versati in sacris Litteris, verba inspirata quasi spontanee se eis offerebant. Hinc illa suavitas et spiritualis unctio in scriptis *S. Bernardi,* qui Doctor mellifluus appellatur: verba enim S. Scripturae, si usurpantur ad illustrandas cogitationes nostras, aliquid de nativa sua virtute et efficacia retinent. Hinc licet etiam concionatoribus uti accommodationibus ad veritates morales efficacius inculcandas; argumenta tamen desumant e sensu litterali.

In usu accommodationis sequentes cautelae servandae sunt:

1) Numquam accommodatio exhibeatur tamquam sensus litteralis S. Scripturae neque ex ipsa deducatur argumentum dogmaticum. Contra hanc regulam peccant illi qui ex verbis Eccli. 24, 24 sq.: « Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis » *dogmatice* conantur demonstrare nullam a Deo nobis gratiam dari sine cooperatione Mariae, nam auctor inspiratus loquitur de divina sapientia. Quodsi Ecclesia haec verba ad beatissimam Virginem accommodat, ostendit, quid *ipsa* de Deipara sentiat.

2) Accommodatio debet esse *naturalis*, scilicet semper fundata in quadam similitudine vel analogia, neque umquam verbis sacris substituatur sensus *contrarius* sensui litterali. Inepte proin ageret, qui verba Ps. 63, 7: « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus » referret ad sacratissimum Cor Iesu, aut verbis Ps. 9, 36: « Quaeretur peccatum illius, et non invenietur », vellet

illustrare veritatem b. Virginem Mariam absque ulla peccati labe fuisse conceptam; nam in priore loco sermo est de corde superbo hominis rebellantis contra Deum, in altero de peccato hominis impii quem Deus destruet.

Concionatores frequenter hanc sapientem regulam violant ex ignorantia Scripturarum (1). De talibus iam *S. Hieronymus* ep. 53 ad Paulin, n. 7 (PL. 22, 544) conqueritur: « Nec scire dignantur, quid Prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem ». Hinc praedicatoribus verbi Dei assidua lectio S. Scripturae quam maxime commendanda est, sicut idem S. Doctor ep. 52 n. 7 (PL. 22, 533) scribit Nepotiano: « Divinas Scripturas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur » et n. 8: « sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit ».

Cavendum demum, ne in usu accommodationis violetur reverentia S. Scripturae debita. Irreverentiae notam incurreret qui verbis sacris abuteretur ad scurrilitates; *concilium Tridentinum* sess. IV decr. de editione et usu ss. librorum reprobat temeritatem atque irreverentiam, qua verba et sententiae S. Scripturae ad profana, scurrilia, fabulosa, vana etc. convertuntur et detorquentur (2).

(1) Cfr. *I. V. Bainvel*, Les contresens bibliques des prédicateurs [2], Paris 1906; nova editio 1924; italice vertit *A. Alfieri*, I controsensi biblici dei Predicatori, Siena 1899; germanice *Schäfer*, Winke für die richtige Verwertung von Schrifttexten in der Predigt, Rottenburg 1912. Utiliter consuluntur commentarii menstrui de re biblica, *Verbum Domini* inscripti omnibus sacerdotibus accommodati curante Pontificio Instituto biblico, in quibus sacris oratoribus quo ministerium verbi uberius et facilius obeant, multis allatis exemplis ostenditur, quomodo S. Scriptura uti debeant.

(2) Enchiridion Biblicum 17 n. 49.

II. Heuristica.

De inveniendo sensu S. Scripturae.

Duplex a theologis solet distingui interpretatio Sacrae Scripturae, *authentica* et *scientifica* sive *rationalis*. Interpretatio *authentica* est illa quae fit ab *ipso auctore*, vel immediate vel mediate, i. e. a persona vicem eius gerente. Cum duo sint auctores S. Scripturae, primarius videlicet, Spiritus Sanctus, et secundarius, auctor humanus divinitus inspiratus, ab utroque potest fieri interpretatio authentica. Sic e. g. Isaias c. 5, 7 explicat canticum vineae: « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est »; Christus explicat discipulis sensum parabolarum; Spiritus Sanctus inspirando hagiographos immediate interpretatur verba sacra, e. g. quando Evangelistae indicant sensum alicuius vaticinii messianici, sicut Matthaeus 1, 22 sq. ostendit conceptu virgineo Iesu adimpleri prophetiam Isaiae 7, 14: « Ecce virgo concipiet et pariet filium ». *Mediata* authentica est interpretatio S. Scripturae facta ab Ecclesiae magisterio sub iugi assistentia Spiritus Sancti.

Interpretatio *scientifica* sive *rationalis* est illa, quae rite adhibitis legibus hermeneuticis sensum S. Scripturae indagat; vocatur etiam interpretatio *grammatico-historica*. De hac primum agemus.

A) *De legibus hermeneuticae rationalis.*

Ad inveniendum et clare proponendum sensum litteralem S. Scripturae adhibenda sunt omnia *subsidia*, quae inserviunt ad explorandum sensum cuiusvis operis

litterarii. Scriptura enim sacra est opus humanum i. e. compositum ab hominibus, pro hominibus, humano more. *Criteria* vero quorum ope sensus biblicus indagatur, sunt tum *interna* tum *externa*.

Criteria interna sunt *usus loquendi, contextus orationis, loci paralleli*. Criteria *externa* sunt *auctor* libri, *occasio orationis, locus, tempus* aliaque adiuncta quorum cognitio mentem auctoris clariorem nobis reddere potest. De criteriis internis litterae encyclicae : « Providentissimus Deus » haec habent : « Propterea cum studio perpendendi, quid ipsa verba valeant (usus loquendi), quid consecutio rerum velit (contextus orationis), quid locorum similitudo (loci paralleli) aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur » (1).

I. De criteriis internis.

1. *De usu loquendi.*

Usus loquendi est nexus inter vocabula eorumque notiones hominum consensu constanter firmatus, quo fit, ut certae notiones certis terminis exprimantur. Ut usus loquendi S. Scripturae bene percipiatur, requiritur ante *omnia exacta notitia linguarum biblicarum*, hebraicae videlicet, aramaicae et graecae, nam hisce tribus linguis libri sacri exarati sunt. *Concilium Tridentinum* sess. IV decr. de editione et usu S. Script. declaravit versionem Vulgatam latinam in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica esse habendam, et Leo XIII in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » statuit, ut magister sacrarum Litterarum in explicando sacro textu exemplar sumat versionem Vulgatam. Addit vero Summus Pontifex : « Neque tamen non sua habenda erit

(1) Enchiridion Biblicum 33 n. 92.

ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae suasore *Augustino* proficiet » (1). Et re quidem vera *S. Augustinus,* hebraicae linguae ignarus et in graeca mediocriter tantum versatus, asserit cognitionem linguarum esse necessariam, de doct. chr. II, 11, n. 16 (PL. 34, 42) : « Contra ignota signa magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraica scil. et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas ».

Sancta mater Ecclesia quae optime perspexit, quantum utilitatis e cognitione linguarum biblicarum pro intelligentia sacrarum Scripturarum sequatur, hoc studium quam maxime commendavit. Sic e. g. *concilium Viennense* (1311) statuit, ut Romae et in universitatibus Parisiensi, Bononiensi, Salmanticensi, Oxoniensi cathedrae linguarum hebraicae, arabicae et aramaicae erigerentur. *Paulus V* a. 1610 constitutione « Apostolicae servitutis » praecepit, ut in cuiusvis Ordinis et Instituti regularium... studiis omnium trium linguarum huiusmodi, hebraicae videlicet, graecae et latinae, in maioribus verum et celebrioribus, etiam arabicae doctores habeantur. *Leo XIII* in laudatis litteris encyclicis scribit : « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus

(1) Enchiridion Biblicum 33 n. 91.

aspirant » (1). Demum *Pius X* in litteris Apostolicis : « Quoniam in re biblica » de die 27 Martii 1906 n. X decrevit : « Alumni, qui meliorem de se spem facient, Hebraeo sermone et Graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi » (2).

Rationes huius sollicitudinis Ecclesiae facile apparent. Lingua hebraica, utpote illa qua auctores a Deo inspirati libros sacros V. T. exararunt, per se summa veneratione digna est. Deinde omnes fere libri canonici, etiam Novi Testamenti, ab Hebraeis conscripti sunt. Iamvero ratio cogitandi Hebraeorum quam maxime differt a nostra et auctorum profanorum, latinorum videlicet et graecorum ; e modo vero cogitandi fluit modus loquendi, conceptus exprimendi, iudicia proferendi. Hic cogitandi loquendique modus hebraicus elucet ex ipsis versionibus, quae haud raro serviliter reddunt textum originalem et contra indolem propriae linguae peccant. Ipsa lingua graeca Novi Testamenti habet colorem hebraicum (3). Quo magis quis versatus est in lingua hebraica, eo facilius intelliget phrases et expressiones quae iuxta leges grammaticae graecae vel latinae vix explicari possunt, e. g. Ps. 7, 14 : « sagittas suas *ardentibus* (= ardentes) effecit » ; Ps. 23, 4 : « qui non *accepit in vano* animam suam » ; Ps. 26, 4 : « *unam* (= unum)

(1) Ibidem 39 n. 103.

(2) Ibidem 60 n. 165.

(3) Scriptores ascetici et concionatores, quia haec ignorant, interdum modo vere horribili sacram Scripturam tractant. Liceat afferre exemplum ex opere admodum pervulgato: Luc. 12, 17: homo dives cogitabat *intra se*, quia non habebat amicum, quocum posset consilia sua communicare; 12, 19: dicam *animae meae:* Anima mea etc., loquitur secum quasi cum altera persona; quia ipsi insatiabili appetitu stimulato non sufficiebat esse solum, volebat quodammodo duplicari, ut duplici voluptate frueretur. Quicumque modicam notitiam linguae hebraicae habet, scit in his casibus agi de locutionibus hebraicis (voce נֶפֶשׁ haud raro exprimitur pronomen reflexivum) et facile huiusmodi absurditates vitabit.

petii a Domino, *hanc* (= hoc) requiram »; Ps. 138, 6: « mirabilis facta est scientia tua *ex me* » (nimis mirabilis facta est mihi scientia).

Sublimis pulchritudo poeseos sacrae, psalmorum et prophetarum, nonnisi in textu originali hebraico plene percipitur. Lingua enim hebraica mira simplicitate et vigore praecellens omnia concrete exprimit; hinc carmina biblica enitent nativa quadam elegantia quam ne optimae quidem versiones perfecte reddere possunt. Cum praeterea textus latinus Psalmorum non sit versio immediate e textu hebraico facta, sed translatio vitiosae versionis graecae, non est immunis ab erroribus et obscuritatibus; sic e. g. Ps. 3, 3: « multi dicunt animae meae », verti deberet: « multi dicunt *de* anima mea »; particula enim hebraica לְ non denotat hoc loco dativum, sed praepositionem *de;* idem error habetur Ps. 86, 5: « Numquid Sion dicet « pro: « numquid de Sion dicetur »; Ps. 92, 4: « a vocibus aquarum multarum... mirabilis in altis Dominus » pro « plus quam voces aquarum multarum magnificus in altis Dominus »: particula מִן indicat comparationem.

Praeter linguam hebraicam addiscenda esset lingua *aramaica* (erronee vocatur *chaldaica*), quia nonnullae partes V. T. (Esdr. 4, 8-6, 18; 7, 12-26; Dan. 2, 4-7, 28; Ier. 10, 11) aramaice conscriptae sunt et etiam in libris hebraicis posterioris aetatis haud pauci occurrunt aramaismi.

Quoad subsidia studii linguarum hebraicae et aramaicae vide *Introductionis Compendium* I² Romae 1926, 141 sq et 143, ubi praecipuae grammaticae et lexica utriusque linguae enumerantur.

Lingua *graeca* Novi Testamenti non est lingua litteraria, qua scriptores profani in edendis libris utebantur, sed lingua vulgaris, quae nostris diebus innotuit e multis documentis papyraceis (epistolis privatis, contractibus etc.) et ostracis, praecipue in Aegypto repertis, et ex inscriptionibus per Asiam, Graeciam, Aegyptum

dispersis. Phrases et termini qui e. g. in epistolis S. Pauli occurrunt, etiam in hisce documentis frequentes sunt; vocabula quae hactenus pro exclusive biblicis habebantur, iam inventa sunt fuisse communia illius temporis, ita quidem, ut de lingua graeca biblica in sensu stricto sermo esse nequeat. Concedendum tamen est linguam graecam N. T., cum scriptores eius essent Hebraei, multos exhibere hebraismos; vocabula saepius peculiarem significationem induunt correspondentem vocibus aut phrasibus hebraicis, e. g. αἰών (saeculum) significat etiam *mundum* sicut vox hebraica עוֹלָם, ἀποκρίνεσθαι = incipere loqui (hebr. עָנָה), ἐξομολογεῖσθαι (confiteri), laudibus celebrare (hebr. הוֹדָה), ζητεῖν ψυχήν = vitae insidiari (בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ), υἱὸς εἰρήνης, etc.,

Praeterea religio christiana quae multos novos conceptus nobis attulit, etiam vocibus graecis novas significationes tribuit, e. g. διάκονος, πρεσβύτερος (senior) = sacerdos, χάρις = gratia, εὐχαριστία, βάπτισμα, βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἐκλεκτοί, ταπεινοφροσύνη, χεῖρας ἐπιτιθέναι etc.

Plura de indole linguae graecae, prout adhibetur in libris S. Scripturae, et de subsidiis ad eius cognitionem acquirendam vide in *Compendio Introductionis* I² 143-152.

Ad melius percipiendum usum loquendi praeter *etymologiam* i. e. artem e radicibus eruendi originalem significationem vocabulorum et exinde significationes derivatas, valde utilis est *comparatio cum dialectis vel linguis cognatis* (1). Interdum enim vox hebraica semel tantum aut bis occurrit in textu sacro et significatio eius etymologica manet incerta vel obscura. In hoc casu inspectio linguae affinis, in qua eadem vox frequenter adhibetur eiusque significatio perspicua est, lucem afferre potest. Vel consuli possunt antiquae versiones, quae sensum vocabulorum hebraicorum clare reddunt;

(1) Cfr. **E. König*, Hermeneutik des Alten Testamentes, 71 sqq.

hinc est quod in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » dicatur : « Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas » (1).

Imprimis iuvabit operam dare linguis semiticis, syriacae saltem et arabicae, quae conferunt ad criticam textus et perfectiorem cognitionem linguae hebraicae : praeterea assyro-babylonicae, cuius cognitio maximi nostris diebus momenti est, quia monumentis historicis et litterariis illius regionis, quae ultimis decenniis in lucem venerunt, multa quae in Veteris Testamenti libris narrantur, clariora redduntur et confirmantur. Optime *Leo XIII in* litteris Apostolicis « Viiglantiae » de die 30 octobris 1902 monet : « Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia » (2).

Maxime considerandus est modus loquendi versionis latinae, qui tantopere differt a lingua latina classica tum quoad *orthographiam*, e. g. aput (apud), temtatio (temptatio), occansio (occasio), thensaurus (thesaurus), susum (sursum), tum quoad *declinationes* et *flexiones*, e. g. retia, retiae (*rete, retis*), lampada, lampadae (lampas, lampadis), custodibo (custodiam), exies (exibis), metibor (metiar) ; quoad *genus* verborum, quatenus activum ponitur pro medio, e. g. abominare, scrutare, lamentavimus ; quoad *significationem* vocabulorum, e. g. cogitatio = cura (Sap. 5, 16 : cogitatio illorum apud Altissimum = Altissimus curam illorum aget), vas = instrumentum (Ps. 7, 14 : et in eo paravit vasa mortis = instrumenta occisionis), virtus = exercitus (Ps. 59, 12 : et non egredieris in virtutibus nostris = non es egressus cum exercitu nostro), exercitatio = meditatio (Ps. 54, 3 : contristatus sum in exercitatione mea), mentiri = blandiri (Ps. 17, 46 : filii alieni mentiti sunt

(1) Enchiridion Biblicum 33 n. 91.
(2) Enchiridion Biblicum 51 n. 133.

mihi), calumniari = opprimere (Ps. 118, 121: non tradas me calumniantibus me = oppressoribus meis) etc.; cfr. *Cavedoni,* Saggio della latinità biblica dell'antica volgata Itala, Modena 1860; * *H. Rönsch,* Itala u. Vulgata. Das Sprachidiom der urchristlichen Itala u. der römischen Volkssprache, Marburg, 1875; *Fr. Kaulen,* Sprachliches Handbuch zur Vulgata [2], Freiburg 1904; * *W. E. Plater* et * *H. I. White,* A grammar of the Vulgate, Oxford 1926.

SUBSIDIA LINGUISTICA

1) *Pro linguis semiticis in genere*: * *W. Wright,* Lectures on the comparative grammar of the semitic languages, Cambridge 1890; * *O. Lindberg,* Vergleichende Grammatik der semitischen Sprachen, Göteborg 1897; * *H. Zimmern,* Kurze vergleichende Grammatik d. sem. Sprachen, Berlin 1898; * *Th. Nöldeke,* Die semitischen Sprachen [2], Leipzig 1899; *Beiträge* zur semitischen Sprachwissenschaft, Strassburg 1904; * *C. Brockelmann,* Grundriss der vergleichenden Gr. d. sem. Sprachen, 2 voll. Berlin 1908-1912; Kurzgefasste vergleichende Grammatik d. sem. Sprachen (Porta linguarum orientalium), Berlin 1908; gallice ediderunt *W. Marçois* et *M. Cohen,* Précis de linguistique sémitique, Paris 1910.

2) *Pro lingua syriaca*: * *A. Th. Hoffmann,* Grammatica syriaca, Halis 1827; *I. B. Wenig,* Schola syriaca, Oeniponte 1866; * *Aem. Roediger,* Chrestomathia syriaca cum glossario [2], Halis 1868; * *Th. Nöldeke,* Kurzgefasste syrische Grammatik, Leipzig 1880, 1898 [2]; *R. Duval,* Traité de grammaire syriaque, Paris 1881; * *E. Nestle,* Syrische Grammatik [2], Berlin 1888, anglice ib. 1889; * *C. Brockelmann,* Syr. Gramm. mit Chrestomathie u. Glossar (Porta lingu. or. V), Berlin 1899, 1912 [2]; *H. Gismondi S. I.;* Linguae syriacae grammatica [2], Romae 1910; * *A. Ungnad,* Syrische Grammatik mit Uebungsbuch (Clavis linguarum or. ed. *H. L. Strack* VII) München 1913.

* *R. P. Smith,* Thesaurus syriacus, Oxonii 1879-1901; Compendious syriac dictionary, ib. 1903; * *C. Brockelmann,* Lexicon syriacum, Berlin 1895; 2. ed. Halis Sax. 1925; *I. Brun S. I.,* Dictionarium syriaco-latinum, Berythi 1895, 1911 [2].

3) *Pro lingua arabica*: *H. Zschokke,* Institutiones funda-

mentales linguae arabicae, Vindobonae 1869; * *C. P. Caspari*, Arabische Grammatik, 5. ed. curavit * *A. Müller*, Halle 1887; *D. Vernier S. I.*, Grammaire arabe, Berythi 1891; * *A. Socin*, Arabische Grammatik [4] (Porta lingu. or. IV) Berlin 1899; 8. ed. cur. * *C. A. Brockelmann*, 1919, 1924 [4]; anglice 2. ed. 1895; *A. Durand* et *L. Cheikho S. I.*, Elementa grammaticae arabicae cum chrestomathia lexico variisque notis [2], Berythi 1910-1912; * *R. Brünnow*, Chrestomathie aus arab. Prosaschriftstellern (Porta lingu. or. XVI) 1895, 2. ed. cur. * *A. Fischer*, Berlin 1913; * *G. Jacob*, Arabische Bibelchrestomathie, Berlin 1888.

* *G. W. Freitag*, Lexicon arabico-latinum, Halis Saxonum 1830; *Belot*, Vocabulaire arabe-français, Beyrouth 1896; * *E. Haider*, Arabisch-deutsches Taschenwörterbuch, Heidelberg 1920.

3) *Pro linguis sumerica et assyro-babylonica*: * *Fr. Hommel* Sumerische Lesestücke, München 1894; *St. Langdon*, A sumerian grammar and chrestomathy, Paris 1911; * *Fr. Delitzsch*, Sumerisches Glossar, Leipzig 1914; Grundzüge der sumerischen Grammatik, ib. 1914; *A. Deimel S. I.*, Sumerische Grammatik der archaistischen Texte, Roma.

* *Fr. Delitzsch*, Assyrische Grammatik mit Parad., Uebungsstücken, Glossar u. Litteratur, Berlin 1889, 1906 [4]; anglice vertit * *R. S. Kennedy*, Assyrian grammar with paradigms, exercises, glossary and bibliography ib. 1889; * *A. H. Sayce*, Assyrian grammar for comparative purposes, London 1872; Elementary grammar of the Assyrian language in the cuneiform type, ib. 1876, 1904 [3]; *V. Scheil* et *C. Fossey*, Grammaire assyrienne, Paris 1901; * *I. Rosenberg*, Assyr. Sprachlehre u. Keilschriftkunde, Wien (sine anno); * *A. Ungnad*, Babylon.-assyrische Grammatik mit Uebungsbuch, München 1906; * *Br. Meissner*, Assyr.-babylon. Chrestomathie für Anfänger, Leiden 1895; Kurzgefasste assyr. Grammatik, Leipzig 1907; * *Delitzsch*, Assyrische Lesestücke mit den Elementen der Grammatik u. vollständigem Glossar [5], Leipzig 1912.

* *E. Norris*, Assyrian dictionary, 3 voll. London 1868-1872; * *Fr. Delitzsch*, Assyrisches Handwörterbuch, Leipzig 1896; Assyrisches Wörterbuch zur gesamten bisher veröffentlichten Keilschriftliteratur [1-3], 1887-1890; * *G. Howardy*, Clavis cuneor. sive lexicon signorum assyrior. linguis lat. britann. german. compos. Lipsiae 1904-1907; * *W. Muss-Arnolt*, A concise dictionary of the assyrian language, Berlin 1905; Assyrisch-englisch-deutsches Handwörterbuch, 2 voll. ib. 1905.

2. *De contextu orationis.*

Contextus est nexus inter antecedentia et consequentia in eodem sermone sive mutua relatio inter partes antecedentes et subsequentes orationis.

De hoc *S. Hieronymus* in Mt. 25, 13 (PL. 26, 186) dicit: « Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus et quae commatice pro fingentium dicuntur arbitrio; sed *consideret priora, media et sequentia*, et nectat sibi universa quae scripta sunt ». Similiter *S. Augustinus* de doctr. chr. III, 2 n. 2 (PL. 34, 65 sq): « Textus ipse sermonis a praecedentibus et consequentibus partibus... restat consulendus »; Serm. 50 n. 13 (PL. 38, 332): « Tota contextio diligentissima lectoris intentione tractetur ». *S. Io. Chryst.*: non oportet Scripturae sententias temere arripere atque a serie sermonis et argumenti affinitate divellere: neque nuda verba sumenda sunt eorumque subsidio destituta quae sequuntur aut praecedunt » (PG. 56, 159).

Quadruplex solet distingui contextus: *logicus, psychologicus, historicus, propheticus.*

Contextus *logicus* oritur ex legibus recte cogitandi; supponitur nempe quemlibet scriptorem has leges tum in singulis propositionibus tum in decursu totius operis servasse, nisi contrarium stricte probetur. Qui contextus logicus duplex est: *proximus* qui observatur in singulis propositionibus et consistit in relatione inter subiectum et praedicatum etc., et *remotus* qui intercedit inter singulas partes et sententias orationis, quae variis modis inter se cohaerent vel ab invicem dependent, scil. tanquam causa et effectus, conditio et conditionatum etc.; in latissimo sensu intelligitur etiam contextus totius libri. Distinguitur etiam contextus *immediatus*, ubi verba et propositiones proxime coniunctae cohaerent, et *mediatus*, si partes cohaerentes propositionibus interiectis separatae sunt. Hic contextus mediatus frequen-

ter notatur in epistolis S. Pauli, qui haud raro post varias digressiones ad materiam quam tractare coepit, revertitur, e. g. II Cor. 2, 12 sq.: « Cum venissem Troadem... non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam ». Sequitur magnus excursus de sublimitate muneris apostolici, demum c. 7, 5 sqq. reassumitur argumentum interruptum: « Nam cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra... Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi » etc. Brevius exemplum habetur I Cor. 8, 1-4: « De iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus »; abrumpitur propositio et intercalatur per modum parentheseos explicatio verae scientiae, et v. 4, reassumitur propositio constructione parumper mutata: « De escis autem, quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo ».

Contextus *logicus proximus* determinatur secundum *regulas grammaticae,* quibus apparet, quaenam vocabula sint coniungenda vel separanda et quomodo coniungi debeant, hinc vocatur etiam contextus *grammaticus;* sic e. g. Io. 1, 1: « et Deus erat Verbum » ex graeco: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος apparet Verbum esse subiectum, quia ponitur cum articulo. Eph. 1, 17 sq.: ut Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri etc. Vulgata latina sententiam hoc modo dividit: Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, ut sit sensus: « Deus, qui est Domini nostri Iesu Christi pater gloriosus », (ita *Estius*), sed hanc interpunctionem esse erroneam patet ex graeco ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Quaeritur, unde dependeat accusativus: « *illuminatos oculos* cordis vestris »; vix potest esse accusativus absolutus, cuius exsistentia a grammaticis in dubium vocatur; rectius dicitur ipsum secundum regulas gramma-

ticae dependere a verbo : *det* i. e. reddat oculos cordis vestri illuminatos.

Contextus *remotus* sive relatio inter propositiones solet indicari *particulis*. Sic particula διὰ τοῦτο vel διὸ (propterea) designatur nexus *causalis* inter propositiones, e. g. Mt. 6, 27 sq. : « Non potestis Deo servire et mammonae. Ideo (διὰ τοῦτο) dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis etc. ». Quia studium divitiarum oppositum est servitio Dei, etiam immoderata sollicitudo rerum temporalium, quae pars quodammodo est studii colligendi thesauros et a servitio Dei hominem retinet, vitanda est.

Phil. 2, 8 sq. : « Humiliavit semetipsum factus obediens etc... Propter quod (διό) et Deus exaltavit illum etc. » ; indicatur humilitatem Christi fuisse causam meritoriam exaltationis eius.

Particula οὖν (igitur, ergo, itaque, quae cum ita sint) inducit *conclusionem* ex praedictis, e. g. Mt. 10, 32, assertio Christi : « Omnis ergo (οὖν), qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo » est conclusio practica ex praecepto : « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine... et nolite timere eos, qui occidunt corpus etc. I Cor. 4, 16 : « Rogo (potius : admoneo) ergo (οὖν) vos i. e. quia pater vester sum, cfr. v. 15 : « nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui ».

Particula δέ (autem) frequenter denotat *oppositionem*, e. g. in sex antithesibus Mt. 5, 21-48 : « audistis quia dictum est antiquis... ego autem (ἐγὼ δέ) dico vobis ». Haud raro ponitur μέν-δέ ad *distinctionem* clarius indicandam, e. g. Mt. 3, 11 : « Ego quidem (ἐγὼ μὲν) baptizo vos in aqua in poenitentiam : qui autem (ὁ δέ) post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni ».

Cum vero lingua hebraica valde pauper et parca sit in adhibendis particulis, auctores sacri plerumque eandem particulam in diverso sensu usurpant, e. g. כִּי

significat : sed, quia, quamvis, si, profecto. Loco subordinationis utuntur coordinatione (παράταξις) sententiarum quas coniungunt particula וְ (καί, etc.), quae proinde iuxta contextum diversas significationes habet, denotat nempe causam (1), consecutionem, explicationem, gradationem etc. immo interdum et sensum adversativum inducit, e. g. Ps. 58, 8-9 : « Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum ; quoniam quis audivit? *Et* tu (= Tu *autem*), Domine, deridebis eos ». Interdum particulae quae nexum logicum denotant, subintelligi debent, e. g. Is. 62, 5 : « Habitabit enim iuvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui » = sicut habitat iuvenis cum virgine, ita habitabunt in te filii tui. Etiam auctores Novi Testamenti, quamvis lingua graeca scriberent, particulas quandoque negligebant vel sententias ope particulae καί coniungebant. Praecipue s. Paulus saepissime elegantiam styli negligens sententias in medio cursu abrumpit ac post digressiones alia forma reassumit ; in his casibus nexus logicus aliunde quaerendus est.

Neque semper cum certitudine dici potest, quomodo vocabula vel propositiones coniungi vel dividi debeant. Sic e. g. ab antiquis temporibus disputatur, quomodo Io. 1, 3 sq. legendum sit, utrum : « sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat », an : « sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita

(1) Exemplum habes Gen. 14, 18 : וּמַלְכִּיצֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם הוֹצִיא לֶחֶם וְיָיִן וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum; sententia וְהוּא כֹהֵן indicatur ratio, cur panem et vinum protulerit, *quia* scil. erat sacerdos Dei altissimi, unde S. Hieronymus optime vertit : « erat *enim* sacerdos Dei altissimi ». Neque audiendi sunt qui hanc sententiam cum sequenti iungunt, ut habeatur sensus: quatenus erat sacerdos Dei altissimi, benedixit Abrahae; benedicere enim in Vetere Testamento non erat solorum sacerdotum, nam et parentes, reges aliique benedicebant; sacerdotis autem officium proprium est sacrificare; hinc admittendum est Melchisedech panem et vinum sacrificii causa protulisse.

erat »; similiter ib. v. 9: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον dubitatur, utrum verba: ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον debeant coniungi cum substantivo τὸ φῶς, ita ut sit sensus: lux vera in eo erat, ut veniret in mundum, an cum substantivo immediate praecedente πάντα ἄνθρωπον (sicut habet Vulgata); utrumque enim iuxta regulas grammaticae possibile est.

Divisio in capita et versus non semper iuvat ad nexum logicum inveniendum, quia interdum erronea est, e. g. I Cor. 11, 1: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi »; haec verba trahenda sunt ad caput praecedens; novum argumentum incipit 11, 2: « Laudo autem vos etc. »; ib. 14, 33: « sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo »; haec iuxta contextum coniungenda sunt cum sequentibus: « sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum (*doceo* erronee additur in textu latino), (etiam apud vos) mulieres in Ecclesiis taceant »: cfr. etiam Gal. 5, 1.

Contextus *psychologicus* oritur ex *idearum associatione*. Intellectus enim noster coniungit ideas et res quae logice nullum inter se nexum habent, sed tamen ob aliquam rationem, vel quia similes aut contrariae sunt, vel quia eodem tempore ac loco fiunt etc. in mente nostra ita associantur, ut ex una sponte fluat altera, cfr. e. g. colloquium Christi cum muliere Samaritana, quae venit ad puteum ad hauriendam aquam: Dominus loquitur ipsi de aqua viva, saliente in vitam aeternam (Io. 4, 10 sqq.); discipuli afferunt ei cibum; Iesus respondet: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me » (ib. 4, 34); ib. 7, 37 sq: in novissimo die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat »; alludit absque dubio ad solemnem ritum effusionis aquae.

Luc. 14, 14 sq.: Iesus promittit iis qui pauperibus et aegrotis misericordiam exhibent, mercedem aeternam: « retribuetur enim tibi in resurrectione mortuorum ». Cum vero resurrectio initium sit consummatio-

nis regni Dei et felicitatis eius, quae imagine solemnis convivii illustratur, unus ex discumbentibus dixit: « Beatus, qui manducabit panem in regno Dei ». Hinc Iesus adiungit parabolam de invitatis ad coenam magnam. I Petr. 3, 19-21: Princeps Apostolorum docet Christum descendisse ad inferos, ut salutem peractam annuntiaret illis qui tempore Noe increduli aquis diluvii absorpti sunt, dum Noe cum familia sua in arca salvaretur per aquam. Ex hoc menti Apostolis suggeritur idea alterius salvationis per aquam scil. per aquam baptismalem, unde pergit: « Quod (melius: *quae* scil. aqua), et vos nunc similis formae ἀντίτυπον (= tamquam antitypus) salvos facit (tamquam) baptisma ». Praeclarum exemplum habetur Act. 17, 23 sqq., ubi S. Paulus ex inscriptione ἀγνώστῳ θεῷ occasionem sumit praedicandi verum Deum.

Contextus *historicus* habetur, si res eo ordine temporis quo gestae sunt narrantur. Concedi debet hunc ordinem non semper servari ab auctoribus sacris; sic e. g. S. Matthaeus qui evolvit thesim dogmaticam Iesum esse Messiam a prophetis praedictum et a Iudaeis exspectatum, ex parte praefert ordinem realem systematicum.

Contextus *propheticus* sive *opticus* oritur ex eo, quod prophetae ea quae loco et tempore inter se distant, simul conspiciunt atque ita describunt, ac si eodem tempore fierent; ob eandem rationem quandoque de una re abrupte ad aliam transeunt. Sic e. g. Ioel 2, 28-32 velut immediate sibi succedentes praedicit effusionem Spiritus Sancti et iudicium universale; Isaias c. 40 sqq. loquitur de liberatione populi electi e captivitate babylonica et simul de salvatione totius generis humani, de Cyro liberatore populi Israel et Christo redemptore omnium hominum. Christus in sermone eschatologico (Mt. 24, 15-51) in una imagine comprehendit destructionem urbis Ierusalem et iudicium finale.

Contextus praecipue logicus summae utilitatis est ad determinandum sensum. E. g. Gen. 15, 1: « ego pro-

tector tuus sum, et merces tua magna nimis ». Ex his verbis deducitur possessionem Dei per visionem beatam fore praemium virtutis; pulcherrima sane veritas, quae tamen non exprimitur his verbis, sicut docet contextus. Abraham enim interrogat: « Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam absque liberis? » etc.; i. e. quid adhuc mihi dare potes, cum non sit mihi filius, qui haeres esse possit promissionum tuarum. Ergo Abraham non intelligit mercedem, quae consistit in visione Dei. Deus in genere promisit ei magnam mercedem, unde LXX interpretes optime verterunt: ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα = merces tua erit valde magna.

Ps. 81, 6: Ego dixi: « Dii (אֱלֹהִים) estis »; e versu sequenti: « Vos autem sicut homines moriemini » apparet אֱלֹהִים significare magistratus.

Ps. 18, 6: « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo ». Sensus iuxta Vulgatam nostram videtur esse: Deus in praeclaro lumine solis manifestat gloriam suam, sol est quodammodo splendidum tabernaculum ostendens maiestatem regiam Dei, vel etiam sicut alii volunt: Dei sedes in caelo est. At ex iis quae immediate praecedunt et sequuntur, elucet sermonem esse de sole, non de Deo; iuxta textum hebraicum vertendum est: Soli posuit (Deus) tabernaculum in eis (i. e. in finibus terrae)... Hic (sol) egreditur oriens tamquam sponsus e thalamo suo, laetatur velut heros currere viam. Ab extremis caelis est ortus eius etc. Sensus ergo textus masorethici, qui solus correspondet contextui, est: Solis sedes est in finibus terrae (1).

Mt. 6, 24: « Nemo potest duobus dominis servire »; hoc per se non videtur esse omnino impossibile, sed

(1) Multa huiusmodi exempla possent afferri, praecipue e libro Psalmorum (e. g. P. 138, 17 sq.), in quibus e solo contextu iam potest erui textum latinum non exacte reddere sensum textus hebraici.

verba sequentia : « aut enim unum odio habebit et alterum diliget : aut unum sustinebit (uni adhaerebit), et alterum contemnet » ostendunt agi de duobus dominis contraria iubentibus.

Mt. 11, 11 : « Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista ». Contextus docet Ioannem non vocari maiorem ceteris ratione *sanctitatis*, sicut plures Patres (*Cyrillus*) et interpretes (*Maldonatus* etc.) censuerunt, sed ratione *dignitatis* propter excellentiam muneris, quia, sicut dicit *S. Hilarius*, ipsi soli licuit et prophetare Christum et videre ; sequitur enim : « qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo ». Ioannes, quatenus est propheta et praecursor, est extra regnum caelorum, extra illum novum ordinem quem Christus instituturus erat ; unde ille qui gratia Spiritus Sancti regeneratus insertus est regno Christi, licet in hoc regno infimum locum obtineat, dignitate maior est Ioanne.

Mt. 22, 14 : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi ». Haec verba allegantur ad probandam opinionem de paucitate salvandorum ; sed cum sint conclusio parabolae praecedentis 22, 1-13 de nuptiis filii regis (nota particulam : *enim*), iuxta contextum explicari debent. In priore parte parabolae sermo est de reprobatione Iudaeorum (3-7), in altera parte de vocatione gentilium. Iamvero propositio : multi sunt vocati etc. non potest ad hos ultimos referri, cum ex his *unus* tantum eiectus sit in tenebras exteriores (1), sed debet referri ad Iudaeos reprobatos : omnes nempe Iudaei vocati sunt, sed pauci tantum fide salutem amplexi sunt.

Eadem verba. « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi » leguntur etiam Mt. 20, 16 in fine parabolae de operariis in vinea, sed ibi non videntur esse genuina ;

(1) Minime placet explicatio a S. Augustino sermo 90 et 95 data in illo uno qui eiectus est, multos esse intelligendos et solum paucos esse qui discumbentes remanserint.

habentur quidem in codd. C D N, in versionibus lat. syr. sin. arm. aeth. sed desunt in codd. ℵ B L Z, in versione sahidica, unde omittuntur a *Tischendorf, Westcott-Hort, Schanz, B. Weiss, von Soden, Vogels.* Etiam admissa genuinitate, significatio e contextu parabolae erui debet: omnes operarii accipiunt mercedem, videlicet denarium, nullus reprobatur, unde sensus debet esse: Multi vocantur gratiis ordinariis, quibus non semper pro viribus respondent, pauci vero ad gratias omnino sublimes quibus egregie cooperantur, liberali consilio Dei eliguntur, i. e. pauci gratiis extraordinariis bene utentes brevi tempore perveniunt ad eam perfectionem quam multi in toto vitae cursu gratiis ordinariis utentes attingunt (1). A limine repudianda est sententia *Iansenii* solummodo ultimo vocatos recipere denarium aeternae beatitudinis, primos vero damnari (2).

Eph. 4, 13 sq.: « donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ». Plures auctores (*Theodoretus, S. August.* de civ. Dei XXII, 1.5 PL. 41, 777) putant hanc perfectionem spectare ad vitam beatam; sic et *S. Thomas* in commentario in h. l. dicit: « Corpus autem Christi fuit perductum ad plenam aetatem virilem, scil. triginta annorum, in qua mortuus fuit. Huiusmodi ergo aetatis plenitudini conformabitur aetas sanctorum resurgentium, in quibus nulla erit imperfectio nec defectus senectutis » (cfr. III Supplem q. 81 a. 1); sed ex verbis immediate sequentibus: « ut iam non simus parvuli fluctuantes... Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo (illum) per omnia, qui est caput Christus » clarissime elucet agi de perfectione, quam Ecclesia et singula membra eius attingere debent in hoc mundo.

(1) Cfr. *Knabenbauer-Merk*, Comm. in Mt.[3], Parisiis 1922, 184; *L. Fonck*, Die Parabeln des Herrn [2], Innsbruck 1904, 339-341.

(2) Hanc explicationem iam *S. Thomas* noverat, cfr. comment. in h. l.: « Quidam exponunt sic: tolle quod tuum est, id est damnationem ».

Etiam in explicatione allegoriarum consideratio contextus logici multum iuvat. E. g. Prov. 5, 15 : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui » ; ex contextu apparet quid intelligendum sit, nam sequitur v. 18 : « laetare cum muliere adolescentiae tuae », unde sensus allegoriae est : maritus debet vivere contentus propria uxore, neque delectationem extra legitimum matrimonium quaerere.

Haud raro considerari debet *contextus totius libri*, ut sensus alicuius propositionis percipiatur. E. g. Eccle. 3, 21 : « Quis novit si spiritus filiorum Adam (hominis) ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum? » *Olympiodorus* (PG. 93, 521) filios hominis intelligit homines pios, bestias vero peccatores. Nemo in hac vita certo cognoscere valet, utrum homo sit bonus an malus, utrum mereatur ascendere in caelum et frui aeterna beatitudine, an descendere in infernum. Sed auctor Ecclesiastis in toto libro nihil habet de *beata* vita ; ipse omnino abstrahit ab ea et quaerit, utrum homo in *hac vita* veram et permanentem felicitatem assequi possit, quod negat. Unde explicatio ab Olympiodoro proposita fundamento caret. Ex altera tamen parte falsum esset cum pluribus auctoribus acatholicis asserere Ecclesiasten in illo loco negare immortalitatem animae ; nam 9, 10 aperte declarat hominem post mortem descendere in Scheol : « Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas ». Haud raro interpretes catholici dicunt hisce verbis enuntiari veritatem hominem post mortem nihil posse operari quod spectet ad salutem, nec mereri nec demereri. Sed Ecclesiastes in toto libro numquam loquitur de merito vitae aeternae, proinde neque hoc in loco ; ipse potius sequitur modum loquendi Hebraeorum, qui cum de vera conditione animae separatae nihil certi scirent, modo potius negativo describebant statum animae post

mortem; vita in Scheol, quo homo descendit, est privatio gaudiorum etc. quibus homines fruuntur in hac vita terrestri.

3. *De locis parallelis.*

Loci paralleli vocantur loci *similes* vel quoad *vocabula adhibita* vel quoad *res tractatas;* hinc distinguitur parallelismus *verbalis* et *realis.*

Parallelismus verbalis est *perfectus*, si eadem verba vel constructio grammaticalis in pluribus locis inveniuntur; ubi haec aequalitas locum non habet, parallelismus est *imperfectus.*

Exemplum *parallelismi perfecti* habes in sanatione hominis leprosi Mt. 8, 3: « Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens: Volo, mundare »; Luc. 5, 13: « Et extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare »; cfr. Mc. 1, 41: « extendit manum suam, et tangens eum, ait illi: Volo, mundare »; vide et sanationem paralytici Mt. 9, 5 sq.; Mc. 2, 9-11; Luc. 5, 23-25. Exempla *parallelismi imperfecti* abundant in Evangeliis synopticis.

Eodem modo dividitur parallelismus *realis.* Prout res tractata est historia vel doctrina, distinguitur parallelismus *historicus* et *dogmaticus* sive *didacticus.*

Sic e. g. in libris Regum et Paralipomenon frequenter eadem facta historica traduntur, ab Evangelistis eadem miracula Salvatoris narrantur, interdum a duobus vel a tribus, interdum ab omnibus quatuor, e. g. multiplicatio panum Mt. 14, 13-21; Mc. 6, 30-44; Luc. 9, 10-17; Io. 6, 1-13.

Etiam parallelismus *didacticus* invenitur in Evangeliis, quatenus iidem sermones Domini referuntur, frequenter etiam in epistolis S. Pauli; sic e. g. Apostolus Rom. 3, 21-4, 25 et Gal. 3, 1 sqq. exponit doctrinam hominem iustificari per fidem in Christum sine operibus legis, diverso tamen modo, nam in ep. ad Gal. polemice

agit contra adversarios, in ep. ad Rom. modo speculativo evolvit hoc argumentum.

Parallelismus *verbalis* qui frequenter coincidit cum parallelismo *reali*, valde utilis est ad determinandum sensum vocum obscurarum vel confirmandum sensum iam inventum. E. g. Is. 7, 14: « Ecce virgo (הָעַלְמָה) concipiet et pariet filium ». Vox עַלְמָה adhuc occurrit Gen. 24, 43, ubi dicitur de Rebecca, quae certe erat virgo illibata, Exod. 2, 8 de Maria, sorore Moysis, quae et ipsa erat puella innupta; Cant. 1, 3 et 6, 8; in hoc ultimo loco עֲלָמוֹת distinguuntur a reginis (uxoribus legitimis) et concubinis, sunt ergo virgines; Ps. 67 (68) 26, apparent עֲלָמוֹת tympanum pulsantes, quae non possunt esse nisi virgines integrae. Ps. 45 (46) 1 et I Par. 15, 20 עַל עֲלָמוֹת disputatur, utrum vertendum sit: « super Virgines » et intelligendum exordium alicuius cantici, ad cuius melodiam psalmus decantandus esset, vel canticum altissima voce (soprano) canendum, an legendum cum LXX: עֲלֻמוֹת (arcana). Remanet locus valde obscurus Prov. 30, 19: וְדֶרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה; de quo loco vexato cfr. *Knabenbauer* in Is. I Parisiis 1887, 170 et Comm. in l. Proverb. 1910, 234, ubi ita textum obscurum explicat: « Etiam maiore admiratione stupet et ignorat viam viri in virginem, quomodo fiat, ut vir magno desiderio ad virginem attrahatur et ad eam ingrediatur »; etiam hoc loco videtur esse intelligenda virgo incorrupta, cum distinguatur a muliere adultera. Sic ex locis parallelis apparet vocem הָעַלְמָה Is. 7, 14 a LXX interpretibus et Vulgata recte sumi in sensu virginis illibatae.

Quoad usum huius parallelismi valet regula: Loci obscuriores explicandi sunt locis clarioribus, sicut monet *S. Augustinus* de doctr. chr. II, 9 (PL. 34, 42): « Ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum senten-

tiarum testimonia dubitationem incertis auferant », e. g. Eph. 1, 10 : ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. Quid significet vox ἀνακεφαλαιώσασθαι, erui debet ex loco parallelo Rom. 13, 9 : ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν, sensus huius loci est omnino manifestus ; omnia praecepta recapitulantur sive summatim comprehenduntur sive uniuntur in uno praecepto caritatis ; unde Eph. 1, 10 explicari debet : Deus decrevit in Christo omnia quae per peccatum disiecta atque dispersa erant, recolligere, comprehendere atque unire.

Gen. 49, 16 : עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה. De sensu vocis שִׁילֹה, quae in multis codicibus scribitur שִׁלֹה, non una est sententia ; sunt qui dicant שִׁלֹה = שֶׁלּוֹ = אֲשֶׁר לוֹ « cui (vel : cuius) est » i. e. cui competit sceptrum sive regnum. Ita iam antiqui interpretes graeci *Aquilas* et *Symmachus* : ᾧ ἀπόκειται (cui reservatum est), *S. Iustinus* Apol. I 63 ; Dial. 120, versio Syriaca Peschitta etc. Cui consonat locus parallelus Ezech. 21, 32 : עַד בֹּא אֲשֶׁר לוֹ מִשְׁפָּט וּנְתַתִּיו – usque dum veniat, cuius est ius (in regnum) et dabo ei = nullus in posterum ex genere davidico sceptrum tenebit usque ad Christum, cui de iure debetur ; unde et Gen. 49, 10 verti potest : non recedet sceptrum de Iuda... usque dum veniat (Messias) cuius est (sceptrum) ([1]).

Ad parallelismum verbalem *imperfectum* potest trahi rhythmus ille sententiarum in poesi sacra adhibitus qui solet vocari *parallelismus membrorum* in eo consistens, quod aliqua idea non simpliciter effertur, sed in suas aequaliter partes distribuitur, ita ut singula eius-

([1]) Cfr. **R. Kraetzschmar*, Das Buch Ezechiel (Handkommentar v. *Nowack*, III 1) Göttingen 1900, 182 ; *P. Schmalzl*, Das B. Ezechiel (Wissensch. Commentar zu den hl. Schriften des A. T. ed. *B. Schaefer*, III, 3, 1) Wien 1901, 213 ; *V. Zapletal*, Alttestamentliches, Freiburg 1903, 39 ; *M. Hetzenauer*, Theologia biblica I, Friburgi 1908, 577.

dem membra sibi mutuo correspondeant (1). Huc spectat imprimis *parallelismus synonymus*, qui habetur, quando sententia in priori membro proposita in sequenti aliis tantum verbis repetitur, e. g. P. 2, 4:

« Qui habitat in caelis, irridebit eos,
Et Dominus subsannabit eos ».

Hic parallelismus multum iuvat ad intelligendum sensum vocabulorum etc. (2). E. g. Ps. 75, 3: « Et factus est in *pace* locus eius, et habitatio eius in *Sion* » ex voce « Sion » apparet in priore membro pro in « pace » ponendam esse sanctam civitatem; et re vera textus hebraicus habet שָׁלֵם, quod hic est nomen proprium = Ierusalem, non nomen appellativum.

Ad hanc parallelismi legem non satis attendit e. g. *S. Gregorius Magnus*, qui hom. 29 in Evang. (PL. 76, 1218) dicit: « per figuram beatus Iob Dominum avem vocat. Quia enim ascensionis eius mysterium Iudaeam non intelligere conspexit, de infidelitate eius per figuram beatus Iob sententiam protulit dicens: « Semitam ignorabit avis... » Cuius avis semitam ignoravit, quisquis eum ad caelum ascendisse non credidit ». Avis enim non est *genitivus*, sicut S. Pater putat, sed *nominativus*, ut membrum parallelum apertissime monstrat:

« Semitam ignoravit *avis*,
nec intuitus est eam *oculus vulturis* ».

Dicta valent etiam de *parallelismo antithetico* qui in eo consistit, quod sententiae in priore membro enuntiatae in altero membro contraria opponitur; e. g. Ps. 95, 5:

(1) Plura de parallelismo membrorum vide in Introductione speciali in V. T. ², Romae 1925, 163-165.

(2) Vide *A. Vaccari*, De utilitate parallelismi poetici ad intelligentiam sacrorum librorum, Verbum Domini I (1921) 184-189; I. *M. Bover*, Psalmorum Parallelismus, ibidem VII (1927) 257-266.

« Quoniam omnes dii gentium *daemonia*:
Dominus autem caelos fecit »

Domino Deo omnipotenti qui caelos (et universum) creavit, opponuntur dii gentilium, qui comparati cum ipso *nihil prorsus* sunt (cfr. I Cor. 8, 4 = nihil est idolum in mundo), id quod optime exprimit hebr. אֱלִילִים (= res nihili, germanice = Nichtse), unde ex parallelismo apparet versionem LXX et Vulg. (daemonia) non esse accuratam.

Etiam parallelismus *historicus* summae utilitatis est, maxime quia diversae narrationes eiusdem facti se mutuo complent; sic e. g. historia passionis Domini, prout a Synopticis traditur, est incompleta; in quarto Evangelio multa adduntur, quae necessaria sunt ad rite intelligendum processum iudicialem, quo Salvator damnatus fuit. Sane occurrunt differentiae inter narrationes singulorum Evangelistarum, sed semper prae oculis habendus est scopus quem unusquisque intendit. Sic e. g. Matthaeus qui in Evangelio suo evolvit thesim dogmaticam, in genere exhibet tantum substantiam factorum, omissis circumstantiis secundariis, quae plerumque a Marco et Luca narrantur. Iuxta Mt. 8, 5: centurio accessit ad Iesum rogans, ut sanaret servum paralyticum, qui sec. Luc. 7, 1-8 misit ad Dominum seniores Iudaeorum et amicos. Matthaeus qui brevitati studet sequitur principium: Quod quis per alios fecit, ipse fecisse videtur; sic centurio per seniores Iudaeorum et amicos accessit ad Iesum; ita iam *S. Augustinus* de consensu Evang. II, 20, n. 49 difficultatem solvit (1).

Cavendum tamen, ne habeantur tamquam loci paralleli, qui tales non sunt; interdum enim quaedam inter diversas narrationes intercedit similitudo: e. g. Abraham et Sara in Aegypto (Gen. 12, 11-20) et apud Ambimelech (ib. 20, 1-18), quin concludendum sit agi de eodem facto; sic e. g. sanatio servi centurionis Mt.

(1) Cfr. *Levesque*, Nos quatre Evangiles², Paris 1917, 316 sq.

8, 5-13 et Luc. 7, 1-10 non debet confundi cum sanatione filii reguli Io. 4, 46-54; neque eiectio vendentium e templo narrata Io. 2, 14-22 eadem est ac illa quam tradunt Synoptici (Mt. 21, 12-17; Mc. 11, 15-17; Lc. 19, 45-46).

Idem valet de parallelismo *didactico;* collatio locorum parallelorum multum iuvat ad complendam et rite intelligendam doctrinam. Imprimis servetur regula: loci paralleli eiusdem auctoris praeferendi sunt locis parallelis occurrentibus in operibus diversorum auctorum, quia quivis auctor sacer etiam sub influxu inspirationis divinae proprium modum ratiocinandi et usum loquendi conservat; unde explicetur Paulus ex Paulo, Ioannes ex Ioanne.

Exempla: Gal. 3, 22: ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, Rom. 11, 32: συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν. Sensus est: Scriptura sive Deus per Scripturam loquens declaravit omnes homines esse peccatores, ita quidem ut nullus excipiatur: omnes sunt quodammodo in carcere inclusi et indigent liberatione atque sola Dei misericordia liberari possunt; ex Rom. 11, 32 apparet τὰ πάντα Gal. 3, 22 intelligendum esse in sensu masculino.

Eph. 4, 9 sq.: « Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia »; videtur esse locus parallelus ad Phil. 2, 7-11: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum etc. »; utrobique enim ostenditur nexus causalis inter descensum sive humiliationem per incarnationem (formam servi accipiens) et ascensionem sive exaltationem.

Forsitan Rom. 1, 17: « Iustitia enim Dei in eo (Evangelio) revelatur ex fide in fidem (ἐκ πίστεως εἰς πίστιν) explicari potest ex c. 3, 22: « Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt in

eum » (διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας), ita ut εἰς πίστιν idem significet ac εἰς τοὺς πιστεύοντας (1).

Unus Evangelista explicetur ex altero; hoc valet imprimis de Synopticis, qui eosdem Domini sermones referunt; sic Lucas 6, 26-49 saltem partem magni sermonis montani qui legitur apud Mt. 5-7 exhibet, alia aliis in locis tradit; plura omittit, e. g. sex antitheses (Mt. 5, 21-48) inter legem Christi et legem mosaicam, quia scripsit pro gentilibus conversis. Mt. 5, 3: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ». Plures Patres (*S. Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus*) *putant* hoc in loco sermonem esse de *humilitate*, alii dicunt designari paupertatem *spiritualem*, defectum virtutum; sed materialiter pauperes esse intelligendos apparet ex Lc. 6, 24, ubi pauperibus opponuntur divites: « Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram ».

Eccle. 9, 7-10 commendatur homini, ut bonis huius vitae fruatur et gaudeat in eis, quia sors futura incerta est et post mortem homo in oblivionem cadit. « Vade ergo, et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum uxore quam diligis etc. ». Si quis haec legit, facile posset putare auctorem libri epicureismo fuisse deditum. Sed ex collatione locorum parallelorum (2, 24-26; 4, 17-18; 11, 9) apparet Coheleth commendare moderatum usum bonorum et gaudiorum, ut haec vita vanitati subiecta aliquantulum iucunda reddatur, quia ipse usus bonorum temporalium, qui timore Dei et pietate sacratur, est donum Dei.

Non semper tamen ex *solis* locis parallelis verus

(1) Ita *Cornely*, Comm. in ep. ad Rom. Parisiis 1896, 70 sq. Quae explicatio non omnibus arridet; cfr. *Lagrange*, Epître aux Romains, Paris 1917, 20; *L. van den Eerembeemt*, Verbum Domini II (1922) 120-124; 206-208.

sensus alicuius textus determinari potest; e. g. Eph. 2, 3: καὶ ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς ὡς καὶ οἱ λοιποί. Terminus φύσει ter adhuc occurrit apud S. Paulum, sed diverso semper sensu, videl. Gal. 4, 8: ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς· hic φύσει denotat *intimam naturam, essentiam;* Gal. 2, 15: ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι, ubi φύσις = *nativitas, origo* = nos, si originem spectaveris, Iudaei sumus; Rom. 2, 14: ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν, i. e. gentiles qui legem non habent, *inclinatione naturali, nativo sensu duce* opera legis faciunt.

Unde dubium esse potest, quae significatio Eph. 2, 3 conveniat. Prima, scil. *intima natura,* essentia, excludenda est, quia imputaret S. Paulo errorem Manichaeorum naturam hominis intrinsece esse malam. Si terminus φύσει accipitur in sensu *nativitatis* sive *originis,* docetur homines ab ipsa sua origine divinae irae esse obnoxios, per consequens directe enuntiatur doctrina de peccato originali; si vero sumitur in sensu *inclinationis naturalis,* quatenus homines natura depravata ducti peccata committunt et divinae irae obnoxios se reddunt, solummodo indirecte concludi potest ad exsistentiam peccati originalis, ex quo nascitur haec prava inclinatio. Quae sententia praeferenda sit, aliunde determinari debet, vel ex contextu vel ex traditione.

Ad inveniendos locos parallelos S. Scripturae serviunt *Concordantiae.* Distinguuntur *Concordantiae verbales* et *reales;* in *verbalibus* singula vocabula ordine alphabetico disponuntur ac omnes indicantur loci, in quibus quodlibet vocabulum occurrit; in Concordantiis *realibus* (lexicis biblicis) omnes personae et res, de quibus in sacris Litteris agitur, alphabetico ordine exhibentur, additis notis historicis, archaeologicis, philologicis, dogmaticis etc.

Concordantiae verbales:

1) *Latinae*: *Hugo a. S. Caro* O. Pr. († 1263) primas contexuit Concordantias in S. Scripturam, quas *Lucas Brugensis* Vulgatae Clementinae adaptavit (Antverpiae 1606, 1617) et *Hubertus Phalesius* O. S. B. locupletavit, Antverpiae 1642; Lugduni 1664; 1677; Venetiis 1768; Viennae 1825 etc.

Repertorium biblicum seu Concordantiae S. Scripturae utriusque Testamenti nova methodo adornatae opera ac studio Relig. Patrum Ord. S. Bened. monasterii Wessofontani, 2 voll. Augustae Vindelicorum 1751.

M. Dutripon, Concordantiae Bibliorum sacrorum, Parisiis 1838; 7. ed. Bar-le-Duc et Ratisbonae 1880; 8. ed. Parisiis 1880.

De Raze, De Lachaud et *Flandrin* S. I., Concordantiarum S. Scripturae Manuale, Lungduni 1891; 16. ed. Parisiis 1908.

Peultier, Etienne et *Gantois* S. I., Concordantiarum universae Scripturae Sacrae Thesaurus adornatus et tabulis synopticis locupletatus (Cursus Script. S.), Parisiis 1897 (in folio).

V. Cornaert, Concordantiae librorum Veteris et Novi Testamenti ad usum praedicatorum, Ratisbonae 1897. Concord. lib. V. ac N. T. iuxta vulgatam editionem, Amsterdam 1909.

2) *Hebraicae*: *Marcus de Calasio* O. F. M., Concordantiae sacrorum Bibliorum hebraicorum, Romae 1621 [1].

* *I. Buxtorfius*, Concordantiae Bibliorum hebraicae, Basileae 1632; nova editio Berolini 1862.

* *I. Fürst* et *Fr. Delitzsch*, Librorum ss. V. T. concordantiae hebraicae et chaldaicae, Lipsiae 1840.

* *B. Davidson*, A concordance of the hebrew and chaldee Scriptures, London 1876.

* *S. Mandelkern*, Veteris Testamenti Concordantiae hebraicae atque chaldaicae, 2 voll. Lipsiae 1896-1900; editio minor (1 vol.) ib. 1906. Ed. altera, Berolini 1925.

3) *Graecae Vet. Test.*: Primas concinnavit * *Conradus Kircher*, Concordantiae veteris Testamenti Graecae, hebraeis vocibus respondentes, πολύχρηστοι, 2 voll. Francoforti 1607, quas emendavit et auxit * *Abraham Trommius*, et edidit *B. de Montfaucon*, Amstelodami 1718.

[1] Cfr. *A. Kleinhans* O. F. M., De prima editione catholica Concordantiarum hebraico-latinarum sacrorum Bibliorum, Biblica V (1924) 39-48; alteram Concordantiarum editionem curavit *G. Romaine*, London 1747.

* *E. Hatch* et *H. A. Redpath*, A concordance to the Septuagint and the other greek versions of the Old Testament, 6 partes, Oxford 1892-1897; Supplementum 1906.

4) *Graecae Novi Test.*: * *C. H. Bruder*, Concordantiae omnium vocum Novi Testamenti graeci, Lipsiae, 1841-1842; 1913 [7]:

* *O. Schmoller*, Ταμιεῖον τῆς καινῆς διαθήκης ἐγχειρίδιον oder Handkonkordanz zum griech. N. T. Stuttgart 1868, 1890; 4. ed. Gütersloh 1913; 1923 [5].

* *Moulton* and *Geden*, A concordance to the greek N. T. [2], Edinburg 1899.

Concordantiae reales:

A. Calmet O. S. B., Dictionnaire historique, critique, chronologique,, géographique de la Bible. Paris 1722; versionem latinam adornavit *Mansi*, Augustae Vindelicorum 1729-1738.

* *R. Watson*, A biblical and theological dictionary, explanatory of the history, manners and customs of the Iews and neighbouring nations [3], London 1833.

* *B. Winer*, Bibl. Realwörterbuch [3], 2 voll. Leipzig 1847-1848.

S. Lueg, *Bibl.* Realconcordanz, Augsburg 1841; 1900 [6]; novam editionem curavit *A. Mairhofer* 1914.

* *I. Hamburger*, Real-Encyclopädie für Bibel u. Talmud, Wien 1866-1870.

* *W. Smith*, A dictionary of the Bible comprising its antiquities 3 voll. London 1863-1870; 1896 [2].

* *D. Schenkel*, Bibl. Real-Wörterbuch 5 voll. Leipzig 1875.

* *E. C. A. Riehm*, Handwörterbuch der bibl. Altertümer, Bielefeld-Leipzig 1884, 2. ed. cur. *Fr. Baethgen* 1893-1894.

F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible, Paris 1891-1912.

* *I. A. Hastings* and *I. Selbie*, A dictionary of the Bible, 5 voll. Edinburgh 1898-1909. Dictionary of the Bible, 1 vol. ib. 1904.

* *T. K. Cheyne* and *I. I. Black*, Encyclopaedia biblica, a critical dictionary of the literary, political and religious history. London 1899-1903.

* *H. Guthe*, Kurzes Bibelwörterbuch, Tübingen-Leipzig 1903.

* *W. W. Davies*, The universal Bible Encyclopaedia, including biblical antiquities, biography, geography and natural history, Toledo (America) 1904.

H. Welsch, Biblisches Handwörterbuch, Paderborn 1905.

M. Hagen S. I., Lexicon biblicum, 3 voll. Parisiis 1905-1911.

— Realia biblica, geographica, naturalia, archaeologica, ib. 1914.

* *M. G. Büchner*, Bibl. Real- u. Verbal- Handconcordanz, 24. ed. cur. *H. L. Heubner*, Leipzig 1907; 1927 [29].

* *Murray's* Illustrated Bible dictionary, ed. W. *C. Piercy*, London 1908.
* *M. W. Iacobus, E. E. Nourse, A. C. Zenos*, A standard dictionary of the Bible, New-York 1909.
* *I. D. Davis*, A dictionary of the Bible, Philadelphia 1911.
* *P. Zeller*, Biblisches Handwörterbuch,[3] Calw 1912.

Addi potest: * *The Jewish Encyclopaedia.* A descriptive record of the history, religion, literature, and customs of the Jewish People from the earliest times to the present day, New-York et London 1911 sqq.

II. De criteriis externis.

Criteria externa intelliguntur illae circumstantiae externae quae scriptionem alicuius libri determinant. Omnes istae diversae circumstantiae ad quatuor principales possunt reduci, quaeri enim potest, quis sit *auctor* libri, quae *occasio*, quis *scopus*, qui sint *lectores* quibus auctor opus suum destinavit. Bene *S. Io. Chrysost.* in Ier. 10, 23 (PG. 56, 159) : « Allatam in medium hanc propheticam sententiam diligenter expendamus, *quis eam protulerit*, et *quorum causa*, et *quo tempore*, et *quem alloquens* et *quo in statu res tum essent* ».

1. *De auctore libri.*

Cum quodlibet opus litterarium prodeat indolem et culturam scriptoris, ad intelligendum librum multum iuvat nosse auctorem, eius patriam, eius mores et ingenium etc.

1. Auctores librorum sacrorum erant *Orientales.* Iamvero Orientales vivissima vi imaginativa praediti frequentissime tropicis utuntur dictionibus, undique petunt imagines et similitudines (1), ex rebus naturalibus, e vita rustica et pastoricia, ex area, tritura, vin-

(1) Cfr. **A. Wünsche*, Die Bildersprache des Alten Testaments, Leipzig 1906.

demia etc.; hinc requiritur cognitio regionis, morum, consuetudinum Orientis. Sic e. g. in regionibus Palaestinae maxima est penuria aquarum, rari imbres, aestate omnia calore solis exuruntur, ubi aqua currit, ibi herbae nascuntur uberrimae, germinant flores, arbores abundantiam fructuum producunt; hinc admodum frequentes sunt imagines desumptae ex aqua, fontibus, pluvia, rore ad designandam divinam benedictionem, gratiam etc.; verbi gratia apud Isaiam benedictiones regni Messianici ita depinguntur 41, 8: « Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum », cfr. 35, 6: « scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine. Et quae erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum ». Verba Psalmi 109, 7: « De torrente in via bibet » a Patribus et interpretibus haud raro intelliguntur de humiliatione Christi in passione; iamvero in illis regionibus aridis invenire rivum aquarum, e quo quis bibere et animam refocillare potest, non est humiliatio, sed potius magnum bonum ideoque signum divinae bonitatis, quae homini semper necessaria suppeditat.

2. Orientales desumunt imagines etiam ex rebus quas sensus noster aestheticus abhorret. Sic Issachar vocatur asinus fortis (Gen. 49, 14); de Deo dicitur Num. 23, 22: « cuius fortitudo similis est rhinocerontis »; immo confertur homini vino victo Ps. 77, 65: « Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino ». * *Fr. Delitzsch* e libro Iob vult excludere descriptionem duorum animalium Behemoth et Leviathan (40, 10-41, 25) propter rationes aestheticas, sed gravem errorem committeret, qui huiusmodi descriptiones diiudicaret secundum nostrum sensum artisticum. Cumque Orientalibus naturalia non sint turpia, adhibent imagines, quas nos indecentes diceremus, e. g. Is. 64, 6: « et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae »; cfr. Ezech. 16, 15 sqq.

parabolam de sponsa adultera, 23, 2 sqq. parabolam de duabus mulieribus Oolla et Ooliba.

3. Quod attinet *stilum* orationis, Semitae praeferunt *paratacticum* dicendi genus, i. e. sententias coordinant atque particula *et* coniungunt; periodi artificiose compositae, quales in Ciceronis sermonibus maxime laudamus, in libris sacris vix occurrunt.

4. Quod demum spectat ad *modum cogitandi*, Semitae non utuntur illa subtilissima arte logica, cui nos ex philosophia aristotelica et scholastica assueti sumus. Unde e. g. non distingunt clare *inter diversas causas*, quae, licet diverso modo, ad eundem effectum producendum concurrunt, sed interdum totum effectum simpliciter primae causae (Deo) tribuunt, omittentes causas secundas quibus Deus usus est. Neque discernunt *inter diversos modos*, quibus causa, praecipue causa prima, se habet ad effectum. Nos apprime distinguimus inter: velle, desiderare, iubere, permittere, tolerare, non impedire etc.; sed apud Hebraeos, quidquid Deo sub aliquo respectu attribui potest, Deus simpliciter vult vel facit. Hoc si ab interpretibus prae oculis habeatur, multae evanescent difficultates, quae maxime in Vetere Testamento occurrunt, e. g. quod Deus videtur esse auctor mali, etiam moralis, quatenus dicitur indurare homines e. g. Exod. 4, 21: « Vide ut omnia ostenta quae posui in manu tua, facias coram Pharaone; ego indurabo cor eius, et non dimittet populum »; 7, 3: « Sed ego indurabo cor eius, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Aegypti »; Am. 3, 6: « Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? » etc.

Adde peculiarem indolem linguae hebraicae, quae admodum pauper parumque flexibilis est et ideo diversos gradus qui inter duo extrema sunt, non exprimit, sed simpliciter ipsa extrema opposita denotat, e. g. Mal. 1, 2 sq.: « et dilexi Iacob, Exau autem odio habui ».

5. Attendendum est, utrum auctor fuerit homo simplex, illiteratus, an artibus liberalibus excultus, prae-

terea, in quanam animi dispositione scripserit. Sic *Amos*, pastor ovium, imagines sumit e vita pastorali, e. g. 2, 13: « sicut stridet plaustrum onustum foeno »; 4, 1: « audite verbum hoc, vaccae pingues (i. e. mulieres Samariae) »; *Isaias* vir eruditus summa sermonis elegantia enitet, cfr. *S. Hieronym.* in Is. praef. (PL. 28, 825): « De Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admixtum ». Idem Pater de *Ieremia* dicit (prol. in Ier. PL. 28, 903): « Ieremias propheta sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathotites, qui est usque hodie viculus ». Addi potest Ieremiam gravissimis calamitatibus afflictum summo fuisse moerore oppressum, unde mens eius non poterat naturaliter elevari ad illam sublimitatem in qua versatur Isaias. *S. Paulus,* utpote Iudaeus Hellenista et civis Romanus, qui in civitate Tarsensi tunc temporis florenti natus est atque adolevit, utitur imaginibus e vita sociali, e spectaculis, cursu in agone, militibus, ex iure Romano. *S. Lucas* versatus est in litteris graecis, unde sermo eius, quamvis differat a stilo classico, puritatem quandam et elegantiam prae se fert nec arte caret, uti apparet ex periodo prologi valde concinna; iam hoc ipso, quod Evangelio suo praemittit prologum, ostendit se habere culturam litterariam graecam, nam auctores hebraei ex abrupto solent incipere libros suos.

Videndum etiam est, *a quonam* auctor libri fuerit edoctus. Sic *Marcus* qui iuxta traditionem ea quae S. Petrus, testis oculatus, viva voce praedicaverat, litteris mandavit, permultas exhibet circumstantias particulares factorum. *Lucas,* comes S. Pauli, in scriptis suis exprimit doctrinam magni Apostoli de universalitate salutis.

Quaerendum denique est, utrum *proprio nomine* loquatur an simpliciter referat dicta et opiniones aliorum.

2. *De occasione.*

Occasio est illa circumstantia externa quae auctorem movit ad scribendum. Sic e. g. occasio scribendi priorem ad Corinthios epistolam erant nuntii quos S. Paulus acceperat de scissuris ortis in illa ecclesia et de variis abusibus, praeterea quaestiones ab ipsis Corinthiis propositae; epistolam ad Galatas scripsit, quia falsi doctores conabantur persuadere illis fidelibus, ut circumcisionem et legem mosaicam acciperent.

Interdum in decursu libri occasio indicatur; sic e. g. occasio proponendi parabolam de Samaritano misericordiam exhibente (Luc. 10, 30-37) erat interrogatio legisperiti: « Et quis est meus proximus? »; parabolam de Pharisaeo et publicano (Luc. 18, 10-14) Iesus dixit quia Pharisaei aspernabantur ceteros homines (18, 9); cum Pharisaei et Scribae murmurarent, quod Dominus cum publicanis et peccatoribus manducaret (Luc. 15, 2), ipse proposuit parabolas de ove et drachma perdita (15-4-9) et de filio prodigo (15, 11-32).

Occasio parabolae de operariis in vinea (Mt. 20, 1-16) e capite praecedente eruenda est, ubi promittitur copiosa merces iis qui propter Christum omnia reliquerint. Ne quis vero in superbiam elatus propriis operibus hanc mercedem attribuat, adiungit Christus monitum: « Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi ». Ne ergo nimis aestiment opus externum, quod omnia dereliquerint, mensura enim mercedis non dependet a quantitate operis externi et laboris, sed a bona voluntate Domini, sive a gratia interna et a cooperatione hominis; haec veritas illustratur parabola de operariis in vinea, unde iam patet explicationem Patrum (*Irenaei, Origenis, S. Gregorii M.*), qui primam, tertiam, sextam, nonam, undecimam horam intelligunt varias

aetates mundi (ab Adam usque ad Noe etc.) non esse ad rem. Hoc exemplum demonstrat, quanti momenti sit attendere ad occasionem, qua sermo habitus vel liber scriptus sit; multos psalmos melius intelligeremus, si accurate sciremus occasionem qua compositi sunt. Occasio cantici vineae (Is. 5, 1-2) videtur fuisse festum, quale post peractam vindemiam nostris adhuc diebus in Palaestina celebrari solet hymnis et cantilenis.

3. *De scopo vel consilio.*

Scopus, qui intime connectitur cum occasione, est id quod scriptor opere suo attingere vult; quilibet enim scribens librum certum finem prae oculis habet. Qui scopus est *generalis*, i. e. ille quem auctor in conscribendo integro libro sibi proposuit, et *specialis*, i. e. ille quem in singulis libri partibus prosequitur.

Cognitio scopi summi momenti est, nam ex ipso determinantur argumentum libri, modus expositionis, selectio vocabulorum. Sic *S. Matthaeus* vult Iudaeis demonstrare Iesum esse Messiam a prophetis praedictum et ab ipsis exspectatum, unde imprimis ostendit vaticinia V. T. in Iesu esse adimpleta, logico modo argumentum disponit, solummodo substantiam factorum affert neglectis circumstantiis et adiunctis particularibus, quae ab aliis, e. g. a Marco, narrantur; quia brevitati studet, quandoque videtur aliis contradicere. *S. Ioannes*, qui divinitatem Christi demonstrare intendit, talia miracula et sermones elegit, quibus divinitas Iesu in clara luce ponatur. Auctor *libri Regum* vult inculcare veritatem prosperitatem populi electi dependere a fidelitate in servitio et cultu divino, unde omittit omnia quae nihil ad hunc finem conferunt, et fuse agit solummodo de illis regibus qui cultum Dei promovebant vel idololatriae dediti erant. Similem fere finem sibi proposuit auctor *libri Paralipomenon*, qui idcirco fere exclusive de regno Iuda agit et quidquid scopo non correspondet, silentio

praeterit, e. g. adulterium Davidis, idololatriam Salomonis. *Ecclesiastes* monstrat hominem in hac vita non posse assequi perfectam et immutabilem felicitatem; hic scopus semper prae oculis habendus est, secus multa quae in hoc libro scripta sunt, falso intelligentur.

Scopus generalis cognoscitur interdum ex claro indicio ipsius auctoris, e. g. Proverbia Salomonis 1, 1-6. Auctor *secundi libri Machabaeorum* dicit (2, 20-33) se voluisse exarare compendium historiae quam Iason Cyrenaeus quinque libris digesserat, ut illi qui librorum mole deterrerentur a legendo, possent aedificari lectione unius brevioris libri; S. Lucas (1, 1-4) studet Theophilum, hominem eruditum, confirmare in doctrina christiana accurata expositione historiae salutis, in qua fusius enarrat ea quae Theophilus catechesi orali didicit. S. Ioannes (20, 31) declarat: « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius ». Saepius scopus auctoris potest cognosci ex ipsa *causa originis*; e. g. quia falsi fratres docebant observationem legis mosaicae esse necessariam ad salutem, S. Paulus in ep. ad Galatas ostendit eam non modo non esse necessariam, sed e contrario perniciosam, si quis ex ea salutem sibi promittat. Quandoque etiam scopus eruitur *attenta lectione* libri; sic e. g. ex modo quo auctor libri Iudicum argumentum suum disponit et evolvit, apparet scopum ipsius fuisse illustrare iustitiam Dei, qui populum suum, quoties ab ipso defecit, in manus hostium violentorum dedit, quoties vero poenitentia ductus ad Dominum reversus est, mirabiliter liberavit.

4. *De lectoribus aliisque adiunctis.*

Semper attendendum est, *quibusnam* auctor sacer scribat. S. Matthaeus qui Evangelium suum Iudaeis destinavit, multa habet quae ab aliis Evangelistis omittuntur vel mitigantur, e. g. sex antitheses inter legem

mosaicam et legem Christi (5, 21-48), historias et verba Christi, quae gentibus videntur esse dura, e. g. historiam mulieris Chanaanaeae (15, 21-28) etc.; S. Lucas qui scripsit pro gentilibus conversis, tradit parabolas et historias quibus illustrantur universalitas salutis, misericordia Dei erga peccatores, vocatio gentilium etc.

Etiam circumstantiae *loci* et *temporis* apprime considerandae sunt. Sic e. g. e verbis Ps. 41, 7: « de terra Iordanis et Hermonis a monte modico (Misar) » potest concludi psalmistam commoratum esse in regione montis Hermon; fluctus Iordanis magno cum strepitu decurrentes ei praebent pulcherrimam imaginem ad illustrandas suas calamitates: « Abyssus abyssum invocat » vel potius: « Fluctus fluctum advocat perstrepentibus cataractis tuis; omnes fluctus tui et undae tuae in me irruunt ».

Si quis prae oculis habet *aetatem* illam rudem et turbulentam Iudicum, numquam dicet sacrificium filiae Iephte (Iud. 11, 30-39) fuisse votum perpetuae virginitatis, quo pater et filia credebant se sacrificium offerre Deo, sed cum Iudaeis (*Flavius Iosephus*, Ant. X, 7, 10; *Talmud*, tr. Taanith 4 *a*) et Patribus (*Origenes* in Io. t. 6, 36, PG. 14, 293; *S. Epiphanius* haer. 78, PG. 42, 736; *S. Gregorius Nazianzenus* orat. 15, PG. 35, 929; *S. Io. Chrysostomus* ad pop. Antioch. hom. 14, PG. 49, 147; *S. Ambriosus* de off. min. 3, 12, PL. 16, 176 sq.; *S. Hieronymus* in Ier. 7, 31, PL. 27, 763; *S. Augustinus*, quaest. in Hept. VII, 49, PL. 34, 816) admittet agi de sacrificio humano.

In I l. Reg. c. 4 sqq. tempora Salomonis exhibentur ut pacifica, prospera, felicia, quamvis rex gravia tributa imponeret subditis suis: « habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu suo, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis »; hinc videtur esse prorsus improbabile regnante Salomone fuisse scriptum *librum Iob*, cuius auctor intendit solvere quaestionem perdifficilem, cur

homo iustus tribulationibus affligatur. Quamdiu enim homines in prosperitate vivunt, non solent praeoccupari talibus quaestionibus. Auctor libri absque dubio coaevos suos graviter afflictos consolari volebat, unde dicendum est librum Iob supponere tempus summae calamitatis, quale e. g. erat tempus, quo Ieremias propheta munere suo fungebatur.

Auctores sacri, utpote filii sui temporis, saepissime alludunt ad facta historica suae aetatis, ad instituta suae aliarumque nationum, ad geographiam etc. Hinc ad rite intelligendam S. Scripturam requiritur, ut interpres bene noverit historiam populi electi ac praeterea historiam et culturam aliarum nationum illius temporis, insuper antiquitates biblicas et geographiam biblicam.

Recentissima opera, quae de his scientiis subsidiariis agunt, recensentur in commentariis periodicis « *Biblica* » editis a Pontificio instituto biblico (Romae 1920 sqq.); permulta huc spectantia invenies in opere periodico « *Revue biblique* » edito a Patribus O. Praed. conventus Hierosolymitani Sti Stephani.

SUBSIDIA LITTERARIA (1)

Iosephus Flavius, Antiquitates Iudaicae, et De bello Iudaico. ed. graece et latine *Dindorfius*, Parisiis 1845-1847; ipsum sequitur *Bekker*, Lipsiae, Teubner 1853-1856; Iosephi Flavii opera ed. *Bern. Niese*, Berolini 1887-1895; germanice vertit *F. Kaulen*, Freiburg 1892; *Kohout*, Bellum Iudaicum Linz 1901; gallice *Buchon*, OEuvres complètes de Flavius Josèphe, Paris 1894; *I. Weill*, ib. 1900; italice *Angiolini*, Firenze 1840; *S. Calori*, (Bellum Iudaicum) 2 voll., Bologna 1878.

HISTORIA BIBLICA

I. - Vetus Testamentum.

F. Vigouroux, La Bible et les découvertes modernes [6], 5 voll., Paris 1905; *H. Zschokke*, *Historia* Sacra V. T. 7. ed. cur. *I Döl-*

(1) In hoc brevi elencho bibliographico non omnia opera huc spectantia recensentur, sed tantum praecipua et quae facilius acquiri possunt.

ler, Vindobonae 1920; *Aem. Schöpfer*, Geschichte des A. T. [6], München 1923; *I. B. Pelt*, Histoire de l'Ancien Testament [7], Paris 1922; *I. Vandervorst*, Israël et l'ancien Orient, Bruxelles 1915; *L. Desnoyers*, Histoire du peuple Hébreu dès Juges à la captivité I, Paris 1922; *L. Haefeli*, Geschichte der Landschaft Samaria con 722 v. Chr. — 67 nach Chr. (Alttestl. Abhandl. VIII, 1/2) Münster, 1922; *L. Dennefeld*, Le Judaïsme biblique, Paris 1295.

* *H. Guthe*, Geschichte des Volkes Israël [4], Tübingen 1921; * *R. Kittel*, Geschichte des Volkes Israel [2], Gotha 1917; *idem*, Gestalten und Gedanken in Israel, Leipzig 1925; * *C. F. Lehmann-Haupt*, Israel, seine Entwicklung im Rahmen der Weltgeschichte, Tübingen 1911; * *M. Sarson* et *M. A. Philipps*, The history of the people of Israel in prechristian times, London 1912; * *A. Schlatter*, Geschichte Israels von Alexander bis Hadrian [3], Stuttgart 1925; * *G. W. Wade*, Old Testament History [10], London 1926.

II. - Novum Testamentum.

F. Vigouroux, Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques [2], Paris 1896; *I. Felten*, Neutestamentliche Zeitgeschichte, Regensburg 1910; 1925 [2-3]; *F. Valbuena*, La arqueologia greco-latina illustrando el Evangelio, 2 voll. Toledo, 1909-1910. * *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, 3 voll, Leipzig 1901-1909; 1920 [5].

III. - Historia aliarum nationum in relatione cum historia biblica.

F. Kaulen, Assyrien und Babylonien [4], Freiburg 1891; *F. Valbuena*, Egipto y Asiria resuscitatos, 4 voll. Toledo 1895-1901; *H. I. Heyes*, Bibel und Aegypten, Münster 1904; *S. Landersdorfer* O. S. B. Die Kultur der Babylonier und Assyrier, Kempten 1913.

* *G. Ebers*, Aegypten und die Bücher Mosis, Leipzig 1868; * *F. Hommel*, Geschichte Babyloniens und Assyriens, Berlin 1885; * *E. Schrader*, Die Keilschriften und das A. T. 3. ed. cur. * *H. Zimmern et* * *H. Winckler*, Berlin 1903; * *A. Jeremias*, das A. T. im Lichte des alten Orientes [3], Leipzig 1916; *G. Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient [12], Paris 1917; * *E. G. Klauber* et * *C. F. Lehmann-Haupt*, Geschichte des alten Orientes [3], Gotha-Stuttgart 1925; * *M. Gaster*, The Samaritans, their history, doctrines and literature, Oxford 1926.

IV. - Archaeologia biblica.

B. Haneberg, O. S. B., Religiöse Altertümer der Bibel [2], München 1869; *P. Schegg*, Biblische Archäologie, ed. *I. B. Wirth-*

müller, Freiburg 1887-1888; *M. Belli*, Brevis antiquitatum Iudaicarum notitia [2], Romae 1909; *F. X. Kortleitner* O. Praem., Archaeologia biblica, nova editio, Oeniponte 1917; *E. Kalt*, Biblische Archäologie, Freiburg 1924; *M. B. Schwalm*, La vie privée du peuple juif à l'époque de Jésus-Christ, Paris 1910.

* *W. Nowack*, Lehrbuch der hebräischen Archäologie, Freiburg-Leipzig 1894; * *I. Benzinger*, Hebräische Archäologie [2], Tübingen 1907, 3. ed. Leipzig 1927: * *R. Kittel*, Studien zur hebräischen Archäologie und Religionsgeschichte, Leipzig 1908; * *H. Gressmann*, Altorientalische Texte und Bilder zum A. T., Tübingen 1909, 2. ed. Berlin 1926-1927; * *P. Thomsen*, Compendium der palästinensischen Altertumskunde, Tübingen 1913; * *P. Volz*, Biblische Altertümer, Stuttgart 1914; * *N. C. Cobern*, The new archaeological discoveries and their bearing upon the New Testament, New York 1917; * *R. A. S. Macalister*, A history of civilization in Palestine, Cambridge 1924.

V. - Atlantes Biblicae Archaeologiae.

C. L. Fillion, Atlas archéologique de la Bible, Paris 1883; * *L. Frohmeyer* et * *I. Benzinger*, Bilderatlas zur Bibelkunde [2], Stuttgart 1912; usui scholarum catholicarum accommodavit *E. Huber*, Biblischer Bilderatlas, München 1913; *Verdunoy*, Album biblique. Explication des textes sacrés par l'image [2], Paris 1925.

VI. - Chronologia Biblica.

A. Deimel, S. J. Veteris Testamenti chronologia monumentis babylonico-assyriis illustrata, Romae 1912; *F. X. Kugler* S. J., Von Moses bis Paulus, Münster 1922; *E. Ruffini*, Chronologia Veteris et Novi Testamenti in aeram nostram collata, Romae 1924.

VII. - Geographia et Topographia Biblica.

V. Guérin, Description de la Palestine, Paris 1874-1889; *L. Richen*, Das Heilige Land in Wort und Bild, Essen 1913; *L. Szczépánski S. J.*, Geographia historica Palaestinae antiquae, Romae 1926-1928 [2]; *H. Vincent* et *F. M. Abel* O. P., Bethléem, Paris 1914; idem, Jérusalem, Recherches de Topographie, d'Archéologie et d'Histoire, 2 voll. ibid. 1912-1927.

* *Ebers-Guthe*, Palästina in Wort und Bild, Stuttgart 1883-1884; * *G. A. Smith*, The historical Geographie of the Holy Land, London 1894; 1919; * *F. Buhl*, Geographie des alten Palästina, Freiburg-Leipzig 1896; * *A. W. Cooke*, Palestine in geography and in history, London 1912; * *G. Dalman*, Orte und Wege Jesu, Gütersloh, 1919; 1921 [2]; 1924 [3]; **G. Landauer*, Palästina, 300 Bil-

der, München 1295; * *L. Preiss, et* * *P. Rohrbach*, Palästina und das Ostjordanland, Stuttgart 1925.

Huc spectant libri manuales destinati peregrinantibus et iter facientibus in Terram Sanctam, e. gr. *B. Meistermann*, O. F. M., Nouveau Guide de Terre Sainte, Paris 1907, nouvelle édition refondue 1923; germanice: *E. Huber*, Durchs Heilige Land, Trier 1913; Guide historique et pratique par les Professeurs de N. D. de France à Jérusalem, Paris 1912; cfr. etiam *D. Zanecchia*, O. Pr., La Palestine d'aujourd'hui, ses sanctuaires, ses localités bibliques et historiques, Paris 1899.

* *W. M. Thomson*, The Land and the Book, London 1905; * *K. Baedeker*, Palästina und Syrien, Leipzig 1910; gallice: Palestine et Syrie, ibid. 1912; Palästina und Südsyrien, Jerusalem 1921.

VII. - Atlantes Bibl. Geograph.

C. L. Fillion - *H. Nicole*, Atlas géographique de la Bible, Paris 1890; *M. Hagen*, S. J., Atlas Biblicus, Parisiis, 1907; *R. de Riess*, Atlas Scripturae Sacrae, 3. ed. recens. *L. Heidet*, Friburgi 1924; *L. Gramatica*, Atlas geographiae biblicae, Bergomi 1921.

* *H. Guthe*, Bibelatlas, Leipzig 1911; 1926 [2]; * *G. A. Smith*, Atlas of historical geography of the Holy Land, London 1915.

IX. - Chartae Geogr. Bibl. Murales.

A. Légendre, Carte de la Palestine ancienne et moderne, Paris 1925; *H.* et *R. Kiepert*, Neue Wandkarte von Palästina, Berlin 1911; *K. Mommert* et *E. Wagner*, Schulwandkarte von Palästina, Leipzig 1913; * *H. Fischer*, et * *H. Guthe*, Karte von Palästina unter Mitwirkung von *G. Dalman*, Leipzig 1913; nova editio 1919; Neue Wandkarte v. Palästina, ib. 1926; Palestina. Carta murale fisico-politica a più colori, Novara 1926; *R. Köppel S. I.*, Hochkarten Palästinas, Göttingen 1926-1927.

X. - De effossionibus in Palaestina factis

quibus Sacrae Litterae illustrantur cfr.: * *I. Bliss* et * *R. A. S. Macalister*, Excavations in Palestine, London 1902; * *H. Gressmann, Die* Ausgrabungen in Palästina und das A. T., Tübingen 1908; *P. Karge*, Die Resultate der neuen Ausgrabungen und Forschungen in Palästina (Bibl. Zeitfragen, III, 8/9) Münster 1910; 1913 [3]; *H. Vincent*, Canaan d'après l'exploration récente, Paris 1914; * *P. Thomsen*, Palästina und seine Kultur in fünf Jahrtausenden mach den neuesten Ausgrabungen und Forschungen dargestellt, Leipzig-Berlin 1917.

Multa quae huc spectant invenies in Commentariis, periodicis biblicis et orientalibus, e. gr. *Palestine Exploration Fund*,

Quarterly Statements, London ab a. 1865; *Zeitschrift des Deutschen Palästina-Vereines*, Leipzig ab a. 1877; *Palästinajahrbuch* des deutschen evangelischen Institutes für Altertumswissenschaft des Hl. Landes zu Jerusalem, Berlin ab a. 1905; imprimis *Revue biblique* publiée par l'Ecole Pratique d'études bibliques au couvent Dominicain Saint-Etienne de Jérusalem, Paris ab. a. 1892; praeterea Commentarios sub nomine « *Biblica* » editos a Pontif. Instituto Biblico, Romae ab a. 1920. Conferri possunt etiam *Das Heilige Land*, Organ des deutschen Vereins vom Heiligen Land, Köln ab a. 1856; Ultimis hisce annis (1920) in lucem prodire coepit « *Journal of the Palestine Oriental Society* ».

XI. - Historia Naturalis.

C. L. Fillion, Atlas d'histoire naturelle de la Bible, Paris 1884; *L. Fonck*, S. J., Streifzüge durch die biblische Flora, (Bibl. Studien V, 1) Freiburg 1900; *Wimmer*, Palästinas Boden mit seiner Pflanzen- und Tierwelt, Köln 1902; *S. Killermann*, Die Blumen des Hl. Landes, (Das Land der Bibel, I, 5-6) Leipzig 1915; * *G. E. Post*, Flora of Syria, Palestine and Sinai, Beirut 1896; * *H. B. Tristam*, Natural history of the Bible, London 1912; * *I. E. Dinsmore*, et * *G. Dalman*, Die Pflanzen Palästinas, Leipzig 1911; *Fr. Bodenheimer*, Die Tierwelt Palästinas, (Das Land der Bibel, III, 3-4) Leipzig 1920; *G. Schiaparelli*, L'Astronomia nell'A. T., Milano 1904; germanice vertit *W. Lüdtke*, Die Astronomie im A. T., Giessen 1904.

B) *Hermeneutica catholica* (1).

1. - De interpretatione authentica.

Exegesis non est mere philologica, critica et historica investigatio sacri textus, sed imprimis exploratio thesauri veritatum dogmaticarum et moralium, quae in sacris libris continentur. Hinc fluunt *principia* hermeneuticae catholicae.

1. *Authentica interpretatio* sacrarum Litterarum competit *infallibili magisterio Ecclesiae*, cui commissum est depositum fidei custodiendum, explicandum, fidelibus

(1) Cfr. *Mangenot* et *Rivière*, L'interprétation de l'Ecriture, Dictionnaire de Théol. cath. VII, 2, 2290-2343; *A. Durand*, Exégèse, Tradition et Eglise, Dict. Apol. de la Foi cath. I, 1835-1841.

proponendum. Quapropter *concilium Tridentinum* sess. IV decr. de editione et usu sacrorum librorum statuit, ut nemo sacram Scripturam *contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia,* cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, *interpretari audeat* (1).

Cum permagna pars depositi fidei contineatur in S. Scriptura, Ecclesia habet ius et officium sacros libros infallibiliter explicandi. Sub hoc respectu decretum concilii Tridentini est *dogmaticum,* quia enuntiat veritatem dogmaticam, sed exhibet insuper *legem hermeneuticam,* quae necessario ex illa veritate dogmatica fluit. Quamvis haec lex proponatur forma negativa, continet tamen praeceptum *positivum;* si enim interdicitur, quominus quis explicet S. Scripturam *contra eum sensum* quem tenet Ecclesia, per se patet sacros libros interpretandos esse *iuxta sensum* ab Ecclesia praepositum. Hinc erravit *Iahn,* qui cum aliis auctoribus decretum pro mera norma negativa habuit, quasi decreto id tantum prohibereretur, ne quis in interpretatione S. Scripturae fidei Ecclesiae contradicat, nemo tamen teneretur recipere explicationem ab ipsa Ecclesia datam. Contra hanc falsam assertionem *concilium Vaticanum* in constitutione dogmatica de fide catholica c. 2 decretum concilii Tridentini authentice explicavit: «declaramus, ut in *rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia,* cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum» (2).

2. Quaeritur, *quousque se extendat* ius Ecclesiae authentice interpretandi sacras Litteras?

Concilium Vaticanum modo omnino generali dicit: «*in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae*

(1) Enchiridion Biblicum 16 n. 47.
(2) Ibidem 22 n. 63.

christianae pertinentium ». Phrasis haec variis modis explicari potest :

a) Non desunt theologi qui asserant quidquid continetur in sacra Scriptura, cum sit *verbum Dei*, subiectum esse *positivae* interpretationi Ecclesiae : nam : *omnis* Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc. (II Tim. 3, 16) ; hinc Ecclesia *omnes* et *singulos* locos, non solum eos quibus veritates fidei et morum enuntiantur, explicare potest ex officio et iure sibi competenti. Hanc rigidiorem sententiam inter alios tenent *Kaulen* (1), *L. Desailly* (2), *Vinati* (3), *Egger* (4), qui duplici argumento utitur : 1) Infallibilitas Ecclesiae se extendit ad totam divinam revelationem. Atqui S. Scriptura in omnibus suis partibus est verbum Dei revelatum. Ergo ius authenticae interpretationis quod competit Ecclesiae, se extendit ad integram S. Scripturam. 2) Ecclesia est custos depositi fidei. Atqui magna pars huius depositi fidei continetur in sacris Litteris sumptis secundum totum earum ambitum : Ergo etc.

Sed hi auctores non satis distinguunt inter *revelationem* et *inspirationem* quae, uti vidimus (p. 26) in suo conceptu non necessario includit manifestationem novarum veritatum, licet per accidens possit esse coniuncta cum revelatione ; cfr. *Zigliara* (5) : « Inspiratio cum iudicio, sed sine acceptione (cognitorum) est proprie et vere inspiratio divina » ; idem docet *S. Thomas* II II q. 174 a. 2 ad 3 : « plures loquebantur frequentius de his quae *humana ratione cognosci possunt*, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum *adiutorio ta-*

(1) Grundsätzliches zur kathol. Schriftauslegung, Literarischer Handweiser XXXIV (1895) 113-124.

(2) Science catholique 1900, 500.

(3) De magisterio Ecclesiae exegetico, Divus Thomas, 1903, 250 sqq.

(4) Streiflichter über die freiere Bibelforschung, Brixen 1899.

(5) Propaedeutica ad sacram Theologiam, Romae 1884, 147.

men divini luminis »; vide et *Palmieri* [1]: « Sed huiusmodi facta, ad quae scribenda inspirati sunt scriptores sacri, non sunt *obiectum revelationis*, sed *historicae notitiae* ». Haec distinctio inter revelationem et inspirationem in nostra quaestione magni momenti est.

b) Alii ius authenticae interpretationis quo gaudet Ecclesia, nimis restringunt. Sic e. g. *I. B. Bardi* [2] scribit: « Ecclesia nisi *eorum locorum, quibus dogmata religionis christianae solent confirmari,* sensum non adiudicat. Erunt ergo reliqua permissa eruditorum hominum investigationibus ». Nec multum discrepat *Ubaldi* [3]: « Regulae istae in iis tantum partibus Scripturae observandae sunt, quae de fide et moribus pertractant, quosque uno vocabulo appellare possumus *loca dogmatica,* non autem in illis partibus quae de aliis rebus, puta de historia, de scientiis naturalibus, geographia aliisque similibus agunt, de quibus Ecclesia iudicium nullum proferre solet ». Etiam iuxta *N. Peters* [4] pro vasto ambitu rerum quae sunt extra fidem et mores, exegeta gaudet libertate, quae non nisi methodo rationali limitatur.

c) Veritas stat in medio [5]. Res fidei et morum, de

[1] Tractatus de Rom. Pontifice [2], Prati 1891, 192.

[2] Praelectiones biblicae, Taurini 1856, II, 40.

[3] Introductio in S. Scripturam [4], III. Romae 1891, 259.

[4] Die grundsätzliche Stellung der kathol. Kirche zur Bibelforschung oder die Grenzen der Bibelkritik nach katholischer Lehre, Paderborn 1905, 37, 39. Cfr. et *Schöpfer*, Bibel u. Wissenschaft, Brixen 1896, 86-128. Hanc sententiam impugnavit *Granderath* S. I., Zum tridentinischen u. vatikanischen Dekret über die Auslegung der Hl. Schrift, D. Katholik 1898, II 289-316, 385-411; cfr. *Vacant*, Etudes théologiques sur les constitutions du Concile du Vatican I 1895, 516-552.

[5] Cfr. *I. B. Nisius* S. I., Ueber das Verhältnis der kirchlichen Lehrgewalt zur Schriftauslegung, Zeitschr. f. kath. Theologie XXIII (1899) 282-311, 460-500, XXIV (1900) 672-697. Ipsi in genere assentitur *Lagrange*, L'interprétation de la Sainte Ecriture par l'Eglise, Revue bibl. IX (1900) 135-142; nec aliter rem explicat *F. Dubois*, L'exégèse biblique et l'Eglise, Revue du Clergé français LIV (1908)

quibus loquitur concilium Vaticanum imprimis intelliguntur veritates revelatae proprie dictae, quas certitudine fidei tenere debemus; secundarie etiam aliae veritates, in quantum cum dogmatibus fidei ita cohaerent, ut earum negatio negationem alicuius dogmatis secum trahat. Per se auctoritas Ecclesiae extenditur ad locos dogmaticos S. Scripturae, in quibus positive et directe atque infallibiliter determinare potest sensum ab omnibus recipiendum (1); aliae veritates in tantum subsunt iudicio et interpretationi Ecclesiae, in quantum cum rebus fidei et morum connexae sunt. Res *profanas* in sacris libris traditas Ecclesia *indirecte* et *negative* tantum explicat, scil. reiiciendo explicationem quae vel veritati fidei vel ipsi dogmati divinae inspirationis Scripturarum contraria est (2).

Cui consonat doctrina *S. Thomae* qui duplicem in S. Scriptura distinguit ordinem veritatum, cfr. II Sent.

31-43: directe res fidei et morum, indirecte etiam alia, quia Ecclesia iudicare potest de inspiratione; vide etiam *R. Peeters*, Introductio in S. Scripturam, Woerden 1915, 29; *Fernandez*, Institutiones biblicae I 391-895.

(1) Cfr. sententiam quartam Decreto « Lamentabili sane » damnatam: « Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest ». Enchiridion Biblicum 67 n. 188.

(2) Ecclesia interdum *positive* et *directe* determinat sensum Sacrae Scripturae, e. g. Concil. Trid. sess. XIII cap. 1. sensum verborum: « Hoc est corpus meum »; saepius *indirecte* sensum declarat, quatenus ad demonstrandum aliquam veritatem fidei contineri in sacris Litteris allegat testimonium S. Scripturae, e. g. Concil. Trid. sess. V can. 2 anathematizat eum qui negat peccatum originale, cum contradicat Apostolo dicenti: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum » etc. (Rom. 5, 12); Concil. Vatic. sess. IV cap. 4 ad confirmandam infallibilitatem Summi Pontificis citat Luc. 22, 32: « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua » etc.; *negative* Ecclesia S. Scripturam explicat, si aliquam interpretationem falsam esse declarat, sic e. g. *Pius VI* die 20 Sept. 1779 damnavit sententiam *Isenbiehl* negantis sensum messianicum vaticinii Is. 7, 14: « Ecce virgo concipiet etc.; cfr. Bullarium Romanum Pii Sexti VI, Romae 1835, 145; Enchiridion Biblicum 20 n. 59.

dist. XII q. 1 a 2: « Respondeo dicendum, quod quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur: Quaedam enim sunt *per se* substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum et huiusmodi; in quibus nulli licet aliter opinari... Quaedum vero *per accidens* tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse; quae quidem ignorari sine periculo possunt ab his qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia. Et in his etiam Sancti diversa senserunt Scripturam divinam diversimode exponentes ». Res prioris ordinis, ut notat *van Noort* (1) duplici titulo sunt res fidei et morum, videl. ratione *materiae*, et ratione *inspirationis*, res alterius ordinis *solo titulo inspirationis* sunt res fidei, unde in tantum ad forum Ecclesiae pertinent, in quantum etiam in iis vindicanda sunt factum inspirationis et necessarium eius consectarium, quod est inerrantia. Optime tamen idem auctor animadvertit: « Porro manifestum est aedificium doctrinae christianae non solis doctrinis (speculativis et practicis) presse sumptis exstrui, sed etiam multis factis historicis, quibus non admissis doctrina christiana fundamento, defensione, commendatione careret. Igitur textus, ubi huiusmodi facta referuntur, non tantum ratione inspirationis, sed etiam ratione ipsius materiae interpretationi ecclesiasticae subsunt ».

Exemplum habes in primo capite libri Geneseos (Hexaemeron). *S. Thomas*, l. c. dicit: « Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scil. mundum incepisse creatum, et hoc omnes concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione Sancti salvantes diversa tradiderunt ». Iuxta decisionem *Commissionis biblicae* de die 30 Iunii

(1) Tractatus de fontibus revelationis [2]. Amstelodami 1911, 85.

1909 doctrina in hoc capite exposita est omnium rerum creatio a Deo facta in initio temporis et peculiaris creatio hominis, sed in illis locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quidpiam definitique tradiderint, licet sequi sententiam quam quisque prudenter probaverit; tantum explicationes mythologica et pure allegorica reiectae sunt, quia redundant in damnum veritatum dogmaticarum; de cetero conceditur libertas; sic e. g. *dies* potest sumi vel sensu proprio pro die naturali vel sensu improprio pro quodam temporis spatio.

3. Ex dictis fluunt sequentes regulae ab interprete servandae:

a) Interpres *tenetur retinere sensum ab Ecclesia authentice propositum* (1). Authentica interpretatio habetur, quando infallibile magisterium Ecclesiae docet certam aliquam veritatem dogmaticam vel moralem aliquo textu S. Scripturae esse expressam; sic Concil. Trid. sess. VII de bapt. can. 2 verba Io. 3, 5: « Nisi quis renatus fuerit » etc. explicat de sacramento baptismi; sess. XIV cap. 6 declarat verba Io. 20, 28 sq.: « Quorum remiseritis peccata » etc. intelligenda esse de remissione peccatorum in sacramento paenitentiae (2); docet ib. de sacr. extr. unct. cap. 1. apostolum Iacobum verbis: « Infirmatur quis in vobis » etc. (5, 14 sq.) promulgasse sacramentum extremae unctionis (3); Concil.

(1) Cfr. sententiam secundam Decreto « Lamentabili sane » damnatam: « Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni ». Enchiridion Biblicum 67 n. 186.

(2) Cfr. Decret. Lamentabili n. 37: « Verba Dñi: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, minime referuntur ad Sacramentum paenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit »; ibidem 70 n. 231.

(3) Ib. n. 48: Iacobus in sua epistola non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem etc.

Vaticanum sess. IV constit. de eccl. cap. 1 docet verbis Mt. 16, 16 sqq. et Io. 21, 15 sqq. primatum iurisdictionis Summi Pontificis promissum et institutum esse.

In his casibus interpreti nullo modo licet recedere ab explicatione quam dedit magisterium Ecclesiae (1).

Alios textus Ecclesia nondum authentice explicavit, cum vero semper fere et ubique in certo sensu sumpti fuerint, iam habetur explicatio traditionalis: in hoc casu temerarium esset ab explicatione hac traditionali deflectere (2).

Per hanc regulam libertas interpretis sacrarum Litterarum non tollitur neque nimis restringitur, nam in quaestionibus quae per se scientias profanas attingunt, Ecclesia ipsi omnem concedit libertatem, dummodo explicatio ab ipso proposita non contradicat veritati reve-

(1) Cfr. litteras encyclicas: « Providentissimus Deus »: « Praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu S. afflante, uti multis in locis N. T., aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, eâdem ipse ratione interpretetur ». Enchiridion Biblicum 35, n. 94.

(2) Sic e. g. verba Christi Io. 6, 48 sqq. semper fere intellecta sunt ut promissio sanctissimi Eucharistiae sacramenti; nonnulli tamen auctorem catholici, ut argumentum eriperent Utraquistis, ea explicarunt de manducatione spirituali per fidem; ita Card. *Nicolaus Cusanus* († 1464) ep. 7 ad Bohemos, *Caietanus* in III q. 80 art. ult., *I. Hesselius*, liber de communione sub una specie etc. *Concilium Tridentinum* noluit quaestionem definitivo modo solvere propter auctoritatem *S. Augustini*, qui de doctr. christ. III. 16 n. 24 (PL. 34, 75) verba Domini refert ad fidem, et aliorum, e. g. *Theodori Heracleensis*, cuius explicationem *Sirletus* Patribus Concilii proposuit, sed utramque sententiam admisit, dicens sess. XXI c. 1: « utcumque iuxta varias sanctorum Patrum et doctorum interpretationes intelligatur »; utuntur tamen Patres Concilii (in eodem capite) versu 58: « qui manducat ex hoc pane, vivet in aeternum » ad demonstrandum sufficere sumptionem Eucharistiae sub una specie; cfr. *F. Cavallera*, L'interprétation du chapitre VI de saint Jean. Une controverse exégétique au Concile de Trente, Revue d'hist eccl. X (1909) 687-709.

latae aut dogmati inspirationis. Insuper exegeta ope philologiae aliorumque subsidiorum rectae interpretationis potest penitius discutere et demonstrare explicationem a magisterio Ecclesiae datam esse veram eamque contra impugnationes incredulorum defendere et doctrinam in illis locis contentam profundiore investigatione elucidare. Potest etiam studiis suis multum conferre ad maturandum iudicium Ecclesiae de talibus textibus qui hactenus authentice explicati non fuerunt; cfr. litteras encyclicas « Providentissimus Deus »: « Privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem Divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis » (1).

b) Exegetae non licet S. Scripturam interpretari *contra unanimem consensum Patrum* (Concil. Trid.) vel positive: tenetur recipere vel reiicere illam interpretationem quam Patres unanimi consensu vel receperunt vel reiecerunt. Patres enim sunt testes mentis Ecclesiae sive traditionis apostolicae. Hanc regulam *Leo XIII* in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » magis explicavit: « SS. Patrum summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet » (2).

(1) Enchiridion Biblicum 34 n. 94.
(2) Ibidem 35 n. 96.

Duo ergo requiruntur, ut sententia Patrum summam habeat auctoritatem:

α) ut testimonium biblicum *omnes eodem modo* explicent; β) ut explicite vel implicite affirment rem de qua agitur, pertinere ad *fidei morumque doctrinam*. Quare si non adest unanimis consensus vel si interpretatio non proponitur tamquam certa doctrina ad fidem pertinens, sed ad modum opinionis vel coniecturae, non competit ei summa auctoritas.

Quoad unanimitatem consensus haec nota: Non requiritur unanimitas *mathematica*, sed sufficit *moralis;* hinc si nonnullis tacentibus plurimi in explicando sacro textu conveniunt, adest vera unanimitas. Sic e. g. Patres unanimi consensu vaticinium Malachiae I, 10 sq.: «Ab ortu enim solis etc.» interpretati sunt de sacrificio eucharistico, cfr. *S. Iustin.* dial. 41 (PG. 6, 564); *S. Irenaeum* IV, 17, 5 (PG. 7, 1023); *Cyprian.* contra Iud. I, 16 (PL. 4, 715); *August.* de civ. Dei XVIII, 35 n. 3 (PL. 41, 594); *Ioann. Damasc.* de fide orthod. IV, 13 (PG. 94, 1149 sq.) etc.

Hic unanimis consensus etiam habetur, si plurium diversarum ecclesiarum Patres, qui magna in Ecclesia auctoritate gaudent, in explicando aliquo textu conveniunt reliquis non contradicentibus, immo etiam, si pauci dumtaxat, sed praecipuae auctoritatis Patres tempore quo doctrina impugnatur, tamquam defensores fidei catholicae textum sacrum certo sensu explicant; sic e. g. in controversiis Pelagianis Patres *Hieronymus, Augustinus, Prosper Aquitanus, Fulgentius* etc. in explicandis quibusdam testimoniis S. Scripturae consentiunt; sic e. g. ex I Cor. 4, 7 demonstrant gratuitatem donorum supernaturalium (cfr. et concil. Arausican. II can. 6 et 25).

Interdum Patres conveniunt in repudiando aliquo sensu, sed in determinanda vera significatione dissentiunt; in hoc casu licitum non est retinere sensum reiectum, licet tamen aliam amplecti interpretationem; sic

e. g. omnes Patres textum Phil. 2, 5-8 referunt ad Christum *praeexistentem*, unde indirecte saltem reiiciunt explicationem recentiorum auctorum acatholicorum, qui verba Apostoli de vita terrestri Christi intelligunt omnemque relationem ad divinitatem excludunt, sed quoad positivam explicationem singulorum terminorum Patres quam maxime inter se dissentiunt (1).

γ) Quodsi in rebus fidei et morum deest unanimis Patrum consensus, sententia eorum non habet quidem summam auctoritatem, neque tamen sperni debet; audiatur Leo XIII in litteris encyclicis: « Providentissimus Deus »: « Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur » (2).

δ) In rebus quae ad fidem et mores non pertinent, interpres catholicus habet plenam libertatem, cfr. litt. encycl. « Provid. Deus »: « Quod vero defensio Scripturae Sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari sicut et nobis, ut est S. Thomae sententia » (3).

Imprimis consulenda sunt illa opera, in quibus Patres ex professo sacras Litteras commentantur, prae

(1) Cfr. *H. Schumacher*, Christus in seiner Praeexistenz u. Kenose I (Scripta Pontificii Instituti Biblici). Roma 1914.

(2) Enchiridion Biblicum 36 n. 96.

(3) Ibidem 41 n. 107.

terea opera dogmatica, in quibus testimonia biblica citantur, explicantur et defenduntur.

Corollarium: Alii *auctores catholici* utilissime consuluntur, licet eorum auctoritas non obliget, multa enim solida exhibent et insuper eorum lectio incitat ad ulteriorem explorationem et investigationem; cfr. litteras encyclicas « Providentissimus Deus »: « Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda » (1).

Scripta *auctorum acatholicorum* multa continent utilia quod attinet quaestiones philologicas, archaeologicas, historicas etc., unde etiam ex eorum studio fructus percipi potest, magna tamen cautione opus est; hinc monet *Leo XIII* in saepe laudatis litteris encyclicis: « Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt » (2).

c) In illis locis, quorum sensus neque authentica interpretatione Ecclesiae neque consensu Patrum declaratus est, interpres sequi debet *analogiam fidei* (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. 12, 6), i. e. interpretatio debet esse conformis doctrinis revelatis; ita *S. Augustinus* de doctr. chr. III, 2 (PL. 34, 65): « Cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam... consulat (interpres) regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit »; Serm.

(1) Enchiridion Biblicum 36 n. 98.
(2) Ibidem.

7, 3 (PL. 38, 63 sq.) : « Non tamen hoc sentire debemus quod abhorret a regula fidei, a regula veritatis ». *Vincentius Lirinensis* Commonitorium 27 (al. 38) PL. 50, 674 : « ut divinum canonem secundum universalis Ecclesiae traditiones et iuxta catholici dogmatis regulas interpretentur » ; *Leo XIII* in litt. encycl. Provid. Deus : « In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda » (1).

Analogia fidei est ergo conformitas cum summa doctrinarum quas Ecclesia catholica profitetur et docet (2).

Usus huius regulae saepissime est *negativus*, i. e. illa interpretatio reiicienda est quae repugnat doctrinae Ecclesiae. Rationem indicat *Leo XIII* : « Cum et Sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur » (3). Exemplum sit Io. 1, 14 : « Et Verbum caro factum est ». Caro saepius in sacris Litteris designat inferiorem partem hominis, sed hoc loco ista explicatio esset contraria dogmati de assumptione integrae naturae humanae. Lotio pedum (Io. 13, 9-11) non est sacramentum ; haec enim opinio repugnaret doctrinae Ecclesiae de septenario numero Sacramentorum. In libris N. T. pluries sermo est de *fratribus Iesu*. Cum sancta Ecclesia constanti traditione teneat privilegium perpetuae virginitatis Deiparae, iam non licet interpreti fratres Iesu intelligi in sensu strictissimo : fratres uterinos, sed in sensu latiori : consobrinos. Neque dici potest hoc modo impediri scientificam investigationem sacrarum Litterarum ; innumeris enim

(1) Ibidem 35 n. 94.

(2) Exemplum exhibet *S. Augustinus*, de div. quaest. 69, 1 (PL 40, 74) : « regula fidei catholicae sic se habet, ut cum aliqua in Scripturis dicuntur de Filio, quod sit minor Patre, secundum susceptionem hominis intelligantur ».

(3) Enchiridion Biblicum 35 n. 94.

exemplis, uti *S. Hieronymus* in libro contra Helvidium n. 14 sqq. (PL. 23, 206 sqq.) demostrat, constat vocem « fratres » in S. Scriptura habere hunc sensum latiorem ; praeterea alia argumenta biblica praesto sunt, quibus probatur Mariam praeter Iesum alios non habuisse filios.

Sensus analogiae fidei repugnans semper falsus est. Similiter ille sensus qui *solus* analogiae fidei concordat, semper pro vero habendus est ; si vero plures interpretationes analogiae fidei respondent, verus sensus non ex sola analogia fidei determinari potest, sed vel ex contextu vel ex locis parallelis etc. E. g. I Cor. 12, 3 : « Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto ». Saepius hic textus ab auctoribus allegatur ad probandam veritatem hominem sine adiutorio gratiae ne minimum quidem actum meritorium ponere posse, immo neque cum vera fide nomen Domini Iesu pronuntiare. Verba prout iacent *possunt* habere hunc sensum, qui omnino consonat analogiae fidei et aliis textibus S. Scripturae corroboratur. Sed ex contextu et ex loco parallelo I Io. 4, 1-3 apparet alium omnino sensum esse admittendum ; nam S. Paulus in illo capite loquitur de charismatibus, de gratiis gratis datis, non de gratia gratum faciente, et S. Ioannes l. c. ita scribit : « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est ». Sensus proinde est : « Eorum qui dono aliquo extraordinario ornati esse videntur, verba et opera, si ad fidem in Iesum, Dei Filium, destruendam eiusque regnum convellendum tendunt, auctorem non habent Spiritum Sanctum ; sin vero fidem in Dominum Iesum augent et promovent, a Spiritu Sancto sunt » ([1]).

([1]) *Cornely*, Comm. in I ep. ad Cor. Parisiis 1890, 361 sq.

2. *De Antilogiis.*

Ecclesia catholica docet libros sacros cum omnibus suis partibus esse divinitus inspiratos ac per consequens *a quovis errore immunes.* Hanc doctrinam interpres semper prae oculis habere debet; hinc Decreto « Lamentabili sane » prop. 12 damnatur principium a recentioribus auctoribus incredulis statutum: « Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari, quam cetera documenta mere humana » (1).

Multi loci sacrae Scripturae inter se pugnare videntur; unde oriuntur eae quae dicuntur *antilogiae* (ἀντιλογίαι) vel *enantiophaniae* (ἐναντίος = oppositus, φαίνεσθαι = videri).

Sic e. g. Lev. 17, 7 interdicitur, ne quis animal mundum domi mactet, Deut. 12, 15, 20 etc. mactatio domi conceditur.

Sec. II Sam. 21, 19 Elchanan in tertio bello cum Philistaeis gesto occidit Goliath, secundum I, 17 vero David eum interfecit. Naves Salomonis iuxta II Par. 8, 18 ex Ophir attulerunt 450 talenta auri, sed I Reg. 9, 28 numerus 30 talentis minor est.

Synoptici eiectionem vendentium e templo ponunt *in fine* vitae publicae Christi (Mt. 21, 12 sq.; Mc. 11, 15-17; Luc. 19, 45 sq.), Ioannes vero (2, 13-17) *in initio;* sec. Mt. 27, 44 et Mc. 15, 32 *duo* latrones qui cum Iesu crucifixi erant, blasphemabant; sec. Luc. 23, 39-42 *unus* tantum; sec. Mt. 8, 28-32 *duo* daemoniaci sanati sunt; sec. Mc. 5, 2-13 et Luc. 8, 27-33 unus; Mt. 28, 1 Christus *respere sabbati* surrexit a mortuis; Mc. 16, 9 *mane prima sabbati* (i. e. prima die hebdomadis). Alium diem ultimae coenae assignant Synoptici, alium Ioannes. Ioannes 19, 14 narrat Pilatum hora quasi *sexta*

(1) Enchiridion Biblicum 68 n. 196.

Iesum adduxisse foras ad tribunal, Mc. 15, 25 legimus: « Erat autem hora *tertia,* et crucifixerunt eum ». Mt. 27, 5-8 Iudas laqueo se suspendit: iuxta sermonem Petri Act. 1, 18 « crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera eius »; apud Matthaeum *synedristae* triginta argenteis a Iuda in templum reiectis *emerunt agrum figuli,* qui inde vocabatur Haceldama, utpote pretio sanguinis acquisitus; Act. 1, 18 sq. *ipse Iudas acquisivit hunc agrum,* qui accepit nomen Haceldama, quia Iudas ibi crepuit medius. Doctrina S. Iacobi (c. 2) de fide quae sine operibus mortua est, videtur contradicere S. Paulo docenti hominem iustificari per fidem sine operibus etc.

Antilogiae frequenter oriuntur ex *corruptione textus,* e vitio *interpretationis,* ex *erroneo iudicio de mutua relatione locorum;* hoc iam innuit *S. Augustinus* ep. 82 n. 3 (PL. 33, 277): « Ac si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam ».

a) Interdum textus est *corruptus;* in hoc casu inspiciendi sunt codices manuscripti, antiquae versiones vel adhibenda alia media critica ad textum emendandum. Sic. e. g. II Sam. 21, 19 ante « Goliath » excidit vocabulum אֶת, nam iuxta I Par. 20, 5 legendum est: Elchanan percussit fratrem Goliath. I Par. 8, 18 de numero talentorum non constat; versio syriaca habet 400, codices graeci variant inter 350, 408, 420.

b) Haud raro in diversis locis sermo est de factis *similibus,* non aequalibus. Sic e. g. Agar *bis* eiicitur Gen. 16. 4-16 et 21, 9-21, sed non agitur de eodem facto, nam iuxta priorem locum Agar male tractata a Sara fugit e domo Abrahae, postea vero ab Abraham instigante Sara eiicitur. Alia est unctio Domini apud Mt. 26, 6-13; Mc. 14, 3-9 et Io. 12, 3-8; alia apud Luc.

7, 37-50. Eiectio vendentium e templo apud Synopticos differt ab illa narrata in quarto Evangelio (1).

c) Quodsi in diversis locis agitur de *eodem facto*, considerandus est *diversus scopus* auctorum sacrorum. Sic e. g. S. Matthaeus qui vult probare thesim dogmatico-apologeticam brevitati studens solummodo substantiam factorum tradit negligens omnes circumstantias secundarias; sic e. g. modo generali indicat diversas classes hominum, qui Christum crucifixum irridebant: praetereuntes,, synedristas, latrones; cfr. *Levesque* (2): « Saint Matthieu groupe par catégories ceux qui insultent à la Croix: le peuple qui passait, les sanhédrites, les voleurs crucifiés. Il ne prétend pas que *tous* dans la populace, que *tous* parmi les membres du sanhédrin insultaient le Sauveur mourant; il en est de même pour les voleurs ». Matthaeus enim voluit describere contumelias Messiae a populo suo illatas, Lucas vero in Evangelio suo depingit misericordiam Salvatoris, quae apparet etiam in conversione latronis.

Quod attinet discrepantiam in numero daemoniacorum sanatorum, plures solutiones sunt possibiles: vel Mc. et Luc. loquuntur de illo tantum, qui altero fortior et saevior erat (*Chrys., Euthym., Theophyl., Maldonat.*), vel de illo qui erat clarior et famosior (*August.*), vel de

(1) Ita Patres, e. g. *S. Augustinus,* de cons. evang. II, 67 n. 129 (PL 34, 1134 sq.); *S. Ioannes Chrys.* hom. in Io. 23, 2 (PG 59, 139); ex recentioribus *Schanz,* Commentar über das Ev. des hl. Ioannes, Tübingen 1885, 153 sq.; *Fillion,* Evangile selon S. Jean, Paris 1907, 40 sq.; *Knabenbauer*, Comm. in Mt. II³ Parisiis 1922, 216 sq.; *I. Belser*, Geschichte des Leidens u. Sterbens des Herrn², Freiburg 1913, 44-50; *Fr. Tillmann,* Das Johannes-Evangelium, Berlin 1914, 66; *P. Dausch*, Die drei älteren Evangelien, Bonn 1918, 272. Unam expulsionem admittunt *Th. Calmes,* Evangile selon S. Jean, Paris 1904, 177 sq.; *Jacquier,* Histoire des livres du N. T. IV 227 sq.; *E. Levesque,* Nos quatre Evangiles², Paris 1917, 58-62; *Lagrange,* Evangile selon S. Jean, Paris 1925, 64.

(2) Op. cit. 315; cfr. *S. August.* de cons. evang. III, 16 n. 53; *Belser,* Geschichte des Leidens etc. 416.

illo quocum Christus locutus est, vel de illo in quo erat legio daemonum, vel de illo qui Dominum precatus est, ut sibi permitteret ipsum sequi (1); neque improbabilis est sententia quam *Klofutar* (2) proposuit: « Statim postquam Iesus e navi egressus est, ei occurrit unus e duobus daemoniacis, alter vero supervenit post aliquod temporis spatium. Matthaeus vero non servato temporis ordine de utroque simul loquitur, Marcus et Lucas solum de primo » (3).

Ex *diverso scopo* et *indole narrationis* solvitur etiam apparens contradictio inter Mt. 27, 5-8 et Act. 1, 18; ex una parte loquitur Evangelista qui secundum morem suum simpliciter substantiam facti refert, scil. Iudam laqueo se suspendisse, ex altera parte Petrus, qui supponens finem Iudae omnibus notum addit circumstantiam, qua miser exitus proditoris terribilior redditur.

Dum Matthaeus tradit Iudam laqueo se suspendisse, Petrus asserit ipsum praecipitem cecidisse (πρηνὴς γενόμενος, versio Vulg. *suspensus*, est erronea) et sic crepuisse. Iam *S. Augustinus* bene rem explicat: « Et collum sibi allegavit et deiectus in faciem discerptus est medius »; vel enim laqueus quo Iudas se suspendit, ruptus est, vel ramus arboris fractus ita quidem, ut cadaver miseri caderet in terram (4).

(1) *Fillion*, Les miracles de N. S. Jésus-Christ., II Paris 1910, 284 sq.: « il y avait réellement deux démoniaques; les autres synoptiques ne signalent que le plus connu ou le plus terrible, comme le pensait déjà saint Jean Chrysostome; celui qui devint après sa guérison un fervent disciple du Sauveur ». *U. Holzmeister S. I.* recurrit ad sensum *praecisivum*, quo hagiographi interdum utuntur, i. e. ponunt determinatum numerum, quin tamen altiorem excludant, quod auctor variis exemplis illustrat, cfr. Biblica VII (1926) 170-182.

(2) Comm. in Evang. S. Matthaei, Vindobonae 1862, 130.

(3) Cfr. etiam *I. Smit*, De daemoniacis in historia evangelica, Romae 1912, 331 sq.

(4) Facilius difficultas solvitur, si quis cum **F. H. Ely*, On πρηνὴς γενόμενος, Journal of theol. Studies XIII (1911-12) 278-285 et **R.*

De emptione agri figuli *Knabenbauer* (1) ita loquitur: « Non dicitur ipsum emisse vel possedisse agrum, sed quia illa pecunia a synedrio ager emptus erat, Petrus de re nota loquitur oratorie efferens, quid Iudas pro sorte ministerii sibi elegerit et acquisierit ».

Nulla est contradictio inter *Paulum* et *Iacobum* quantum ad iustificationem, siquidem S. Paulus docet hominem iustificari per fidem sine operibus legis (Rom. 3, 21 sqq.), S. Iacobus vero loquitur de homine iam iustificato, cuius fides, nisi operibus caritatis et misericordiae comprobetur, mortua est et inanis; Doctor gentium intelligit fidem quae informatur caritate, S. Iacobus fidem theoreticam i. e. nudum assensum datum veritatibus fidei; apud S. Paulum opera praecedunt fidem et iustificationem et sunt opera lege mosaica praescripta, opera de quibus agit Iacobus, sequuntur fidem et iustitiam acceptam (2).

d) Distingui debent *tempora* et *loca;* sic lex Lev. 17, 7 respicit tempus, quo populus electus in angusto spatio castrorum versabatur et unicuique facile erat adire tabernaculum foederis; Deut. 12, 15, 20 referuntur ad tempus, quo Israelitae iam in terra promissa habitabant.

Harris, St Luke's version of death of Judas, American journal of Theology XVIII (1914) 127-131 admittit vocem πρηνής significare *tumidum* esse, et πρηνής γίνεσθαι = *intumescere. Ch. Sigwalt,* Bibl. Zeitschr. IX (1911) 399 asserit ἀπήγξατο (Mt. 27, 5) significare simpliciter: *suicidium commisit,* quatenus se praecipitem dedit et crepuit.

(1) Commentarius in Act. Ap., Parisiis 1899, 34; *I. Pfättisch* O. S. B., Der Besitzer der Blutackers, Bibl. Zeischrift VII (1909) 303-311; *Sigwalt,* l. c. putat verbum ἐκτήσατο (Act. 1, 18) verti posse: « de emptione tractavit », ἠγόρασαν (Mt. 27, 7): « pretium solverunt » i. e. Iudas ante mortem agrum illum emere voluit; post suicidium eius synedristae pretio traditionis agrum emerunt.

(2) Cfr. *Bartmann,* St. Paulus und St. Jakobus über die Rechtfertigung (Bibl. Studien II 1) Freiburg 1897; *Prat,* La théologie de S. Paul I 243-246; vide etiam *Augustin.* enarr. in Ps. 31 n. 2 sqq. (PL 26, 258 sqq.).

e) Videndum est, utrum auctor sacer *proprio nomine* loquatur an simpliciter *opinionem aliorum* referat, quin eam approbet suamque reddat (*citatio explicita*); in hoc altero casu opinio recepta in librum inspiratum non obtinet maiorem auctoritatem, quam antea habuerat, unde potest esse vera vel falsa (cfr. supra in tractatu de inspiratione p. 54). Sic e. g. mors *Antiochi Epiphanis* in libris Machabaeorum ter narratur, videlicet I, 6, 1-16; Ant. volebat diripere templum Elymaide in Perside, sed ab habitatoribus fugatus rediit in Babyloniam, ubi acceptis nuntiis de cladibus ducum suorum in lethalem morbum incidit; II, 9, 1-29: Rex, ut vindictam sumeret de Iudaeis, Ierosolymam contendit, sed in itinere e curru decidens lethaliter vulneratus est. Hae duae relationes inter se componi possunt, quatenus Antiochus, quum contra Iudaeos proficiscebatur, iam aegrotus erat et casu e curru morbus ingravescebat... Sed omnino aliter res narratur II, 1, 11-17 (in epistola Iudaeorum Palaestinensium ad contribules in Aegypto degentes): Antiochus dum in eo esset, ut in Perside templum deae Nanneae diriperet, a sacerdotibus templi occisus est. Hic agitur de falso rumore paulo post mortem tyranni in Iudaea sparso, quem Iudaei Palaestinenses in epistola fratribus suis Aegyptiis referebant; auctor sacer hanc epistolam in opus suum recepit, quin omnia et singula, quae in ea scripta sunt, approbaret; immo quatenus ipse in capite nono libri sui aliter narrat mortem Antiochi, positive demonstrat se illum rumorem sparsum non approbare (1).

---

(1) Cfr. *Cornely,* Introductio II, 1, 469, Compendium[9] 1927, 447; *Ch. Pesch,* De inspiratione 448. Neque tamen omnes auctores concedunt sermonem esse de eodem facto; sic e. g. *Vigouroux,* Manuel biblique II[13], Paris 1914, 247 sq. cum nonnullis antiquioribus (*Hugo a. S. Charo, Nic. Lyran., Dionys. Carth.*) contendit in epistola agi de morte *Antiochi III Magni,* qui testibus *Diodoro Siculo* (XXVIII, 3; XXIX, 15) et *Strabone,* (XVI, 1, 18) volens diripere templum Beli in Elymaïde occisus est; ita etiam *F. X. Kugler* S. I., Von Moses

f) Multae apparentes contradictiones per *sanam interpretationem* sacri textus removeri possunt, e. g. Mt. 28, 1 : *vespere* autem sabbati ; textus graecus habet : ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. Particula ὀψέ in posteriore graecitate significat : *post;* e. g. *Philostratus,* Vita Apollonii 4, 15 : ὀψὲ μυστηρίων, = peractis mysteriis, post mysteria, 6, 10 : ὀψὲ τούτων post haec ; *Plutarchus* Num. 1 : ὀψὲ τῶν βασιλέως χρόνων = longe post regis tempora ; unde et Mt. 28, 1 verti potest : post sabbatum, cum (hora *Euseb.* suppl. ὥρα;) iam illucesceret in primam diem hebdomadis ; sic evanescit contradictio inter primum Evangelistam et Mc. 16, 9 : ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου (1).

Difficultas quoad horam crucifixionis Iesu plures solutiones admittit. Sunt qui dicant differentiam numerorum ortam esse confusione signorum Γ = 3 (ita putant scripsisse Ioannem) et *F* = 6 (2). *Belser* censet S. Ioannem computasse horas diei more Romanorum a media nocte, unde asserit Iesum mane circa horam sextam et dimidiam condemnatum fuisse et circa horam nonam antemeridianam (hora tertia sec. Marcum qui computat horas more Iudaeorum ab ortu solis) crucem ascendisse (3). *P. Avignon* O. S. B. (4) provocat ad

---

bis Paulus, Münster 1922, 350 sq. ; *M. Holleaux,* Revue des Etudes anciennes XVIII (1916) 77-102 censet epistolam loqui de *Antiocho VII Sidete* (ita et *Rupert. Tuit., Serarius, Cornel. a Lap.*). Neuter tamen fuit persecutor Iudaeorum.

(1) Cfr. *Belser,* Einleitung in das N. T.², Freiburg 1905, 44-46; sed vide etiam *E. Tobac,* Ὀψὲ δὲ σαββάτων, Revue d'histoire eccl. XX (1924) 239-243.

(2) *Th. Innitzer,* Wieviel Stunden hing Christus am Kreuze? Theol. prakt. Quartalschr. 1919, 362-370 ; ita iam *S. Hieronymus* qui errorem librariorum admittit tract. in Ps. 77, 2 : in Evangel. Marci error scriptorum fuit : et in Marco hora sexta scriptum fuit, sed multi pro ἐπισήμῳ graeco putaverunt esse gamma ; similiter *Eusebius, Ammonius, Theophylactus.*

(3) Op. cit. 320 sq.

(4) The time of the crucifixion, Ecclesiastical Review 1909, 385 sqq. ; cfr. et *Lagrange,* Evangile selon S. Marc², Paris 1920,

usum Iudaeorum dividendi diem in quatuor tempora orationis (hora 3. 6. 9. 12); quaelibet hora orationis in templo clangore tubarum annuntiabatur; Mc. 15, 25 sensus est: Iesus fuit condemnatus et crucifixus inter horam tertiam et sextam, antequam hora sexta esset annuntiata; idem tempus indicat expressio vaga S. Ioannis: hora *quasi* sexta.

Difficultas, quod alium diem *ultimae coenae* Synoptici, alium Ioannes assignare videatur, gravis dicenda est, neque tamen desunt solutiones admodum probabiles, quamvis nequeat dici, quaenam aliis praeferenda sit. Sunt qui Mt. 26, 17: τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων vocem πρώτῃ sumant in sensu comparativo (sicut Io. 1, 15, 30: πρῶτός μου ἦν) i. e. die ante diem azymorum, quo pascha immolabant, ergo die 13 Nisan (1).

Alii prementes vestigia * *Chwolson* (1) dicunt Christum coenam paschalem, quae iuxta legem 14. Nisan fieri debebat, die 13. Nisan anticipasse: si 14. dies Nisan erat feria sexta, cum agni non possent immolari nisi sub vesperum, iam non erat tempus sufficiens assandi agnos immolatos ante coeptum sabbatum, debuisset per consequens violari sabbatum, quod numquam licebat; ideo poterat immolatio agni die 13. Nisan anticipari. Porro iuxta plures auctores solummodo immolatio et praeparatio agni erat ritus stricte legalis, manduca-

---

400 sq.; Ev. selon S. Jean, Paris 1925, 487. Alium modum solutionis vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Mc., Parisiis 1894, 414. Vide etiam *E. Ruffini*, Introductio in S. Scripturam II, 1, Romae 1925, 333.

(1) Ita *S. Io. Chrys.* hom. 81 in Mt. n. 1 (PG 58, 729): πρώτην τῶν ἀζύμων τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησί, *Theophyl.* in h. l. (PG 123, 440); *Calmet* in h. l.; *F. Westberg*, Die biblische Chronologie nach Josephus Flavius u. das Todesjahr Jesu, Leipzig 1910, 150; *Sepp-Haneberg*, Das Leben Jesu V, 1912, 30; *J. Bach*, Monatstag u. Jahr des Todes Christi, Freiburg 1912; cfr. *Lagrange*, Evangile selon S. Marc [2], Paris 1920, 340 sq. Evangile selon S. Jean, 470 sq.: Christus videtur secutus esse morem Galilaeorum.

(2) Das letzte Passamahl Christi u. der Tag seines Todes, Leipzig 1908, 38 sq.

tio vero potius ritus privatus; hinc poterat agnus comedi eo ipso die quo immolatus erat (in nostro casu admissa anticipatione 13. Nisan) vel etiam die sequenti (14. Nisan). Christus priorem praxim secutus est, Iudaei vero qui eum ad praetorium duxerunt, alteram (1).

I. Schneid (2) alio modo conatur solvere difficultatem: Agnus paschalis debebat immolari die 14. Nisan inter *duas vesperas* (Exod. 12, 6) vel sec. Deut. 16, 6: vespere ante solis occasum. Cum Iudaei computarent diem a vespere usque ad vesperum, vesper diei 14. Nisan poterat intelligi vel solis occasus diei 13. Nisan, quo iam incipiebat dies 14. Nisan, vel vesper diei 14. Nisan, quo incipiebat dies 15. Nisan; in hoc casu celebratio coenae paschalis iam non fiebat die 14. Nisan, sicut lege statutum erat, sed 15. Nisan, quod iuxta rigorem litterae erat contrarium legi; cfr. *Hummelauer* (3), qui censet ad mentem legis Pascha celebrandum esse initio diei 14. Nisan, ergo vespere 13. Nisan. Atque hoc modo Galilaei verba legis interpretantes die 13. Nisan pascha immolabant, Iudaei vero iuxta aliam interpretationem legis praeferebant diem 14. Nisan. Synedristae tolerabant consuetudinem Galilaeorum, quia consonabat litterae legis. Iesus ergo, utpote Galilaeus, secutus est praxim Galilaeorum; ideoque et Evangelistae optimo iure dicere poterant discipulos praeparasse pascha primo die azymorum.

Alii auctores (4) statuunt perfectam concordiam

(1) Ita **A. M. Haggard*, Problems of the Passion week, Bibliotheca sacra LXIX (1912) 664-692; *B. Stakemaier, O. S. B.*, Zur Antizipationstheorie, Theologie u. Glaube V (1913) 361-368; *A. Cellini*, L'ultimo Phase o banchetto pasquale di N. S. Gesù Cristo, La Scuola Cattolica 2. S. 1V (1914) 445-467; V (1914) 1-29; 425-433. *J. Huby* S. J., Evangile selon S. Marc, Paris 1925, 331 sq. censet causam, ob quam Jesus anticipaverit coenam paschalem, nobis esse ignotam.

(2) Der Monatstag des Abendmahls u. Todes unseres Herrn J. Chr., Regensburg 1905, 88 sqq.

(3) Comm. in Exodum, Parisiis 1897, 119 sq.

(4) *I. Langen*, Die letzten Lebenstage Jesu, Freiburg 1864, 61-146; *I. van Bebber*, Zur Chronologie des Lebens Jesu, Münster 1898,

inter Evangelistas, dicentes Ioannem una cum Synopticis tradere Iesum celebrasse ultimam coenam die 14. Nisan et crucifixum esse die 15. Nisan i. e. in ipsa solemnitate paschali.

Asserunt Io. 13, 1: πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα voce ἑορτή designari ipsum diem festum, per consequens Iesum fecisse coenam ante diem festum. Neque obstat Io. 18, 28, ubi dicitur Iudaeos, cum ducerent Iesum ad Pilatum, non introisse in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha, ex quo multi concludunt Iudaeos die quo Iesus passus est, nondum manducasse agnum paschalem; nam, ita illi, phrasis φαγεῖν τὸ πάσχα non significat hic « agnum paschalem manducare », sed sumenda est in sensu latiore de *sacrificiis festivis* vel de sacrificiis pacificis quae per dies paschales offerebantur; qui epulis sacrificialibus intererant, debebant esse levitice mundi; hinc Iudaei nolębant introire in praetorium Pilati.

Alii (1) praeferunt theoriam *translationis*. Cum duo

---

54 sqq.; Zur neuesten Datierung des Karfreitags, Bibl. Zeitschr. II (1904), 67 sqq.; *Belser*, Einleitung in d. N. T.[2], Freiburg 1905, 265 sq. 292-295; Das Ev. des hl. Johannes, ib. 1905, 390-393; Geschichte des Leidens u. Sterbens des Herrn[2] ib. 1913, 129-134; *L. Murillo*, S. I. Juan, Barcelona 1908, 423-425; *I. Felten*, Neutestamentliche Zeitgeschichte I Regensburg 1910, 472; *I. Pfättisch* O. S. B., Die Dauer der Lehrtätigkeit Jesu (Bibl. Studien XVI 3-4), Freiburg 1911, 155-164; **Th. Zahn*, Einleitung in das N. T. II[3], Leipzig 1907, 518-524; *H. Lesêtre*, Le jour de la dernière Cène, Revue du Clergé français LXII (1910) 702-710; *H. Pope*, The Catholic Students Aide to the Bible II London 1910, 370; *Fr. Tillmann*, Das Johannesevangelium, Berlin 1914, 248. *Fillion*, Vie de N. S. Jésus-Christ III, Paris 1922, 377 sqq.; *E. Ruffini*, Chronologia V. et N. Testamenti, Roma 1924, 133 sq.; Introductio in S. Script. II, 1, 323-333.

(1) *Rupertus Tuitiensis* in Mt. X, 13 (PL 168, 1533); *Paulus Burgensis*, Addit. ad Lyrani Postilla in Mt. 26; *Salmeron*, in evang. hist. 9, tract. 4; *Maldonatus* in Mt. 26, 2; *Estius* in Io. 13, 1; 18, 28; *Mariana* in Io. 18, 28; *Danko*, Historia revelationis N. T., Vindob. 1867, 241; *I. Grimm*, Die Einheit der vier Evangelien, Regensburg 1868, 755; *I. Knabenbauer*, Comment. in Mt. II[3] 409-426; *Cornely*,

videantur esse certa, scil.: 1) Iesum fecisse coenam paschalem die a lege statuta i. e. die 14 Nisan; 2) Iudaeos, quando Iesus crucifixus est, nondum manducasse agnum paschalem (1), concludunt non eodem die a Christo et a Iudaeis coenam legalem fuisse celebratam, sed eam a Iudaeis in sequentem diem fuisse translatam. Nonnulli Patres (2) censebant Iudaeos, ut Dominum in crucem agerent, illo anno contra legem immolationem agni in diem 15. Nisan transtulisse, quae sententia parum probabilis est. Recentiores velut *Cornely* (3) rem ita explicant: Iudaei primum diem Paschatis, si in feriam sextam incidebat (sicut evenit illo anno), transferebant in sequens sabbatum, ne duobus integris diebus ab omni opere servili abstinere deberent, quod ipsis valde molestum fuisset. Allegant regulas Calendarii: *Adu* et *Badu*, quae nostris adhuc diebus observantur; iuxta priorem regulam initium anni numquam incidere debet in diem primum (א), quartum (ד) et sextum (ו) hebdomadis; iuxta alteram dies festus paschalis non celebratur die secunda (ב), quarta et sexta hebdomadis (4). * *P. Fiebig* (5) asserit usum transferendi so-

---

Intro ductio III 2, 279 sqq. *J. Schäfer, Schuster-Holzammer,* Handbuch zur bibl. Geschichte II 7; Freiburg 1910, 448 sq. etc. *P. Dausch,* Die 3 älteren Evangelien, Bonn 1918, 317.

(1) Primis saeculis christianis pervulgata erat sententia Christum illo die quo Iudaei pascha manducabant, fuisse crucifixum atque passione sua typum agni paschalis implesse; ita *Melito Sardensis, Apollinaris,* cfr. Chron. pasch. 13 (PG 92, 80 sq.); *Polycrates* ap. *Euseb.* hist. eccl. V, 24. (PG 20, 493 sq.); *Clemens Alex., Origenis, Hippolytus, Tertullianus, Eusebius* etc.

(2) E. g. *S. Io. Chrys.* in Mt. hom. 84 n. 2 (PG 58, 754); ita et *Grimm* l. c. 756 sqq. et Geschichte des Leidens Iesu, 2. ed. cur. *J. Zahn,* Regensburg 1903, 112 sqq.

(3) L. c.; cfr. et *M. Seisenberger,* Erklärung des Johannesevangeliums, Regensburg 1910, 256 sqq.

(4) Cfr. **Lewisohn,* Geschichte u. System des jüdischen Kalenderwesens, Leipzig 1856, 46 sqq.

(5) Talmud u. Theologie, Tübingen 1903, 16 sqq.; **A. Lichtenstein,* Hebräischer Kommentar zum N. T. 1895, 24 sqq. **Strack-Bil-*

lemnitatem paschalem in sabbatum nonnisi apud Sadducaeos viguisse, dum Pharisaei retinerent feriam sextam; Iesum ergo Pharisaeorum usui adhaesisse. Demum *Knabenbauer* (1) admittit anno mortis Christi festum paschale a Iudaeis fuisse translatum in diem 16. Nisan, sed rationem huius translationis nos latere.

Plures ergo praesto sunt solutiones apparentis contradictionis inter Synopticos et quartum Evangelium, quae maiore vel minore probabilitate gaudent; de cetero dicendum est nos ignorare multos usus et consuetudines particulares illius temporis atque multa adiuncta historica, quorum cognitio necessaria esset ad plane solvendam difficultatem.

Quomodo inter se conciliari possint genealogiae Christi quae in Evangeliis S. Matthaei (1, 1-17) et S. Lucae (3, 23-38) exhibentur, vide Compendium Introductionis III: Introductio specialis in N. T. [2], Romae 1926, 77-90 (2).

---

lerbeck, Kommentar zum N. T. aus Talmud u. Midrasch II, München 1924, 847-853 aliam proponunt solutionen: Baethosaei, secta Sadducaeorum, putabant primum manipulum hordei offerendum esse die post sabbatum incidens in hebdomada Azymorum. Hinc si Pascha veniebat prope Sabbatum, novilunium ita computabant, ut dies 14 Nisan incideret in feriam sextam loco feriae quintae. Iesus vero feria quinta coenam paschalem celebravit.

(1) Comm. in Mt. II [3], 421.

(2) Cfr. etiam *M. Hetzenauer* O. M. C., De Genealogia Iesu Christi secundum Matthaeum et Lucam (Lateranum) Roma 1923; *E. Ruffini*, Introductio in S. Script. II, 1, 172-198.

III. Prophoristica.

De modo proponendi sensum S. Scripturae.

Diversis modis sensus S. Scripturae potest proponi, vel simplici versione, vel paraphrasi, vel homilia, scholiis, glossis, commentariis proprie dictis.

1. *De versionibus S. Scripturae.*

Agitur hic de versionibus in linguas vernaculas, non de antiquis versionibus quae in diversis ecclesiis orientalibus leguntur. Ecclesia numquam simplicibus fidelibus absolute et universaliter lectionem S. Scripturae interdixit (1); sed adhibitis necessariis cautelis semper permisit. Protestantes, quibus S. Scriptura est unicus fons divinae revelationis, unica regula fidei et morum, contendunt omnibus esse necessarium legere divinas Scripturas. Homo vero catholicus verbo Dei praedicato ab infallibili magisterio Ecclesiae instruitur in fide; hinc sequitur lectionem sacrarum Litterarum non esse pro omnibus sine exceptione medium necessarium ad assequendam salutem. Unde dicit *S. Augustinus* de doctr. chr. I, 39, n. 43 (PL. 34, 36): « Homo fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus

(1) Propter *Catharos* synodus *Tolosana* a. 1229 S. Scripturam laicis interdixit; propter errores *Wicliffii*, synodus *Oxoniensis* a. 1408 proscripsit versiones anglicas approbatione ecclesiastica carentes. Cfr. de hac quaestione *Noit*, Ueber Bibelkenntnis und Bibellesen in älterer u. neuerer Zeit, Berlin 1896, 80 sqq.

vivunt ». *Clemens XI* a. 1711 damnavit 101 propositiones *Paschasii Quesnel,* inter eas septem, quibus necessitas lectionis S. Scripturae pro omnibus docetur, e. g. pr. 80: « Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus »; pr. 81: « Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab eius lectione ». *Pius VI* die 28 Augusti 1794 bulla « Auctorem fidei » doctrinam synodi Pistoriensis a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare declaravit falsam et temerariam.

Sed quamvis lectio divinarum Litterarum non sit omnibus sine discrimine necessaria, est tamen utilissima, hinc sancta mater Ecclesia eam sub certis conditionibus permittit. *Leo XIII* constitutione « Officiorum ac munerum » die 25 Ian. 1897, c. 3, n. 7, statuit: « Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi *fuerint ab Apostolica Sede approbatae,* aut editae sub *vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus,* atque ex doctis catholicisque scriptoribus » (1); cfr. Cod. Iur. Can., can. 1391.

Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum publicatae ab acatholicis, sicut et versiones S. Scripturae in quamvis linguam ab eisdem confectae et editae permittuntur iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, can. 1399, n. 1 et 1400 (2). Hinc sequitur editiones textus originalis et antiquarum versionum a catholicis publicatas omnibus permitti (3).

(1) Enchiridion Biblicum 48 n. 124.

(2) Ibidem 47 n. 122 et 48 n. 125.

(3) Utiliter consuluntur *Bellarminus* de verbo Dei II, 15, 16; *Malou,* La lecture de la Sainte Bible en langue vulgaire, Louvain 1846; *J. Hoffmann,* Die Heil. Schrift ein Volks- und Schulbuch in der Vergangenheit, Kempten 1902; *N. Peters,* Kirche und Bibellesen,

Antiquiores et plures recentiores versiones adornatae sunt ex textu Vulgatae latinae, e. g. *M. Glaire,* La Sainte Bible selon la Vulgate, Paris 1871-1873, 1902 [4]; *F. P. Vivier,* La Bible, Ancien et Nouveau Testament, texte de la Vulgate avec traduction, Paris-Louvain 1892-1906; versio italica facta ab *Antonio Martini,* Archiepiscopo Florentino (Taurini, 1776 sqq.) ([1]). Eam emendavit et retractavit *M. Sales* ([2]). E textu Vulgatae fluxerunt etiam versio *hispanica* quam edidit *Phil. Scio de S. Miguel* (Madrid 1790-1794), cui praefertur iam illa quam *F. Torres Amat* confecit (Madrid 1823) ([3]); versio *lusitanica* adornata ab *Ant. Pereira de Figueiredo* (Lisboa 1784) ([4]); *versio anglica,* quae in lucem prodiit Rhemis (1582 et 1610: The Douay-Bible) ([5]); versio *germanica* elaborata a *Fr. I. Allioli* (Landshut 1830 et saepius), retractata ab *Aug. Arndt S. I.* (Regensburg 1899, 5. ed. 1910, 6. ed. 1920), versio edita a *V. Loch* et *W. Reischl* (Regensburg 1866, 1886 [3]), sicut et versio

---

oder die grundsätzliche Stellung der kathol. Kirche zum Bibellesen in der Landessprache, Paderborn 1908; *K. Romeis,* Was ist uns Christen die Bibel? Freiburg 1911, 196-224.

([1]) Cfr. *C. Gonfalonieri,* Mons. Martini e la sua versione della s. Scrittura. Firenze 1911.

([2]) La Sacra Bibbia commentata. Vol. I-II: N. T., Torino 1911-1914; III: V. T.: Pentat. ib. 1919. Versio Novi Testamenti *Antonii Martini* revisa et correcta prodiit typis Salesianis: Il Nuovo Testamento, versione di Mons. Ant. Martini, riveduta e corretta con note e concordanze, Torino 1921. Versio italica Evangeliorum et Actuum Ap. pervulgata a *Pia Societate S. Hieronymi* iam ducentesima prima vice edita est: Il santo Vangelo di N. S. Gesù Cristo e gli Atti degli Apostoli, Roma 1921.

([3]) Editiones Novi Testamenti curarunt *E. R. Torio,* Nuevo Testamento del nuestro Señor Iesucristo, Freiburg 1900; 1923 [3-4]; *P. C. Ballester Nieto* O. M., Madrid 1920, 1922 [2]; *Fl. Ogara* [2], Madrid 1922.

([4]) *I. B. Pereira* novam elaboravit versionem N. T., Bahia 1909-1912.

([5]) Vide *H. Pope* O. Pr., The origin of the Douay-Bible, Dublin Review CXLVII (1910) 97-118.

Novi Testamenti auctore *Beda Grundl O. S. B.* (18. ed. Augsburg 1925) et illa confecta a *B. Weinhart* (München 1865, 2. ed. Freiburg 1899).

Nostris vero diebus etiam auctores catholici libros sacros ex ipsis textibus originalibus in linguas vernaculas vertunt, e. g. *A. Crampon,* La Sainte Bible, traduite en français sur les textes originaux, Tournay 1894 sqq.; La Sainte Bible, traduction d'après les textes originaux, Paris 1904; nouvelle édition ib. 1923; *Boisson,* La Sainte Bible, traduction française sur l'hébreu, Lyon 1900; *I. Mader,* Die heil. vier Evangelien u. die Apostelgeschichte, Einsiedeln 1911; *E. Dimmler,* Das Neue Testament, M. Gladbach 1911 sqq.; Das Alte Testament übersetzt und erklärt, ib. 1920 sqq.; *K. Rösch* O. M. Cap., Das Neue Testament übersetzt u. erläutert, Paderborn 1921, 1924 [2]; *F. Tillmann,* Die Hl. Schrift des Neuen Testamentes, Bonn 1925-1927; *P. Riessler,* professor facultatis theologicae Tubingensis adornavit versionem germanicam Veteris Testamenti, Die Heilige Schrift des Alten Bundes, Mainz 1924; Novum Testamentum vertit *R. Storr,* ib. 1926 ([1]). In Anglia anno 1913 coepit in lucem prodire nova versio librorum Novi Foederis iuxta textum graecum (The Westminster Version of the Sacred Scriptures) auctoribus *C. Lattey S. I.* et *I. Keating S. I.* Professores Pontificii Instituti Biblici novam praeparant translationem italicam librorum Utriusque Testamenti e textibus originalibus ([2]); hactenus edita est versio Pen-

([1]) Versio germanica Utriusque Testamenti quam evulgare coepit *P. Nivardus Schlögl,* O. Cist. (Die heiligen Schriften des Neuen Bundes. Aus dem Urtext übersetzt, Wien 1920; Die heil. Schriften des Alten Bundes I-II, ib. 1921-1922) in indicem librorum prohibitorum relata est, quia auctor modo arbitrario textum tractat et explicationes sat audaces versioni addit.

([2]) Cfr. *A. Vaccari* S. I., Per una Bibbia italiana e moderna, Vita e Pensiero XIII (1922) 193 sqq.; Bibbie protestanti e Bibbia cattolica, Civ. Catt. 1923, I, 343-351; *G. Castoldi,* Moderne versioni italiane della Bibbia, La Scuola Cattolica L. Ser. V, vol. XXIII (1922)

tateuchi et librorum poeticorum V. T. (1). In Hispania *I. Garcias Hughes* libros N. T. e graeco vertere suscepit (2). Monachi O. S. B. monasterii Montserratensis opera *P. Bon Ubach* et aliorum edunt versionem catalaunicam cum commentario: La Biblia, Versió dels textes originals i comentari pels monjos de Montserrat. Hactenus prodiit Pentateuchus, Montserrat 1926-28; *S. Obiols,* Epistoles de St. Pau (Rom. Cor.) ib. 1929.

Versio S. Scripturae debet esse *fidelis* et *clara. Fidelis,* i. e. interpres debet quam accuratissime textum originalem reddere nec quidquid addere aut demere, in quantum possibile est etiam indolem et stilum originalis imitari, locutiones figuratas aliaque ornamenta poetica retinere, neque ullo modo doctrinas fidei et morum in sacris libris traditas evertere aut obscurare. Neque tamen convenit omnes proprietates linguae originalis serviliter exprimere, unde interpres non potest semper verbum e verbo reddere, sed studeat sensum fideliter exprimere, quin contra regulas grammaticae et elegantiam sermonis peccet (cfr. ep. 57 *S. Hieronymi* ad Pammachium, De optimo genere interpretandi, PL. 22, 568-579). Haec lex non semper servata invenitur in antiqua versione latina, praecipue in versione Psalterii; cfr. e. g.: *Haec* me consolata est in humilitate mea; sagittas suas *ardentibus* effecit etc.

81-97. Versio italica adornata a *Giov. Luzzi* (Il Nuovo Testamento tradotto dal testo originale e annotato, Firenze [Fides et Amor] 1920; La Bibbia tradotta dai testi originali e annotata, 1; Il V. Test. ib. 1922-27) prodit spiritum rationalisticum, cfr. *L. Fonck*, Biblica II (1921) 241; *Castoldi*, l. c., 86-94; unde iuxta monitum S. Officii ipso iure C. I. can. 1390 n. 1 prohibita est, cfr. Acta Ap. Sed. XVII (1925) 137.

(1) La Bibbia tradotta dai testi originali e annotata. 1. Il Pentateuco, Vita e Pensiero, Milano 1923; 2. I libri poetici della Bibbia, 1926; 1927 2.

(2) Los Santos Evangelios de Nuestro Señor Iesucristo, Version directa del texto griego, Madrid 1924.

Secundo versio debet esse *clara* et *perspicua*, i. e. tali modo sensum textus originalis exprimere, ut a legentibus facile intelligatur. Interpres, ut huic legi satisfaciat, apprime sit versatus in linguis biblicis, in scientia theologica, in disciplinis historicis, archaeologicis etc.; nemo e. g. epistolas S. Pauli bene poterit in linguam vernaculam transferre, quin profundam cognitionem doctrinae magni Apostoli sibi acquisierit.

2. *De Paraphrasi.*

Paraphrasis (παράφρασις = circumscriptio, Umschreibung) distinguitur a versione, quatenus sensum textus originalis non simpliciter reddit, sed verbis amplioribus et clarioribus proponit, voces obscuras et ambiguas elucidat, quae implicite tantum dicta sunt ab auctore, explicat. Et ipsa debet esse *fidelis*, i. e. nihil addere aut demere neque sensum mutare, sed uberius tantum proponere; neque sit nimis prolixa et verbosa.

Exempla paraphraseos sunt *Targumin* aramaica V. T., e. g. paraphrasis Pentateuchi quae fertur *Onkelosi* et Targum in prophetas priores attributum *Ionathae ben Uziel*. Paraphrases aramaicae in Hagiographa continent multa absurda et superstitiosa (1). *S. Gregorius Thaumaturgus* († c. 270) scripsit paraphrasim in Ecclesiasten (μετάφρασις εἰς τὸν ἐκκλησιαστὴν Σολομῶντος, PG. 10, 987-1918); *G. Sanchez* S. I. († 1628) in prophetas; *Desiderius Erasmus* († 1536) et *Bernardinus a Piconio* O. Cap. († 1709) exararunt paraphrases librorum Novi Testamenti (2). *Exemplum* sit Mt. 8, 14-15:

(1) Cfr. Compendium Introductionis. I Introductio generalis, [2] Romae 1926, 205-208.

(2) Optima est paraphrasis epistolarum Novi Testamenti et Apocalypseos edita a *G. Terwelp*, Die Reden und Briefe der Apostel mit Einschluss der Apocalypse in deutscher Nachbildung [2], Bonn 1912.

Vulgata:	Erasmus:	Bernardinus:
Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, et febricitantem: et tetigit manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis (ei).	Et ingressus est domum Simoni Petro et Andreae fratri communem. Ibi cognovit Petri socrum febri tam valida teneri, ut lecto decumberet: rogatus ut eam sanaret, nihil cunctatus apprehensa manu mulieris erexit eam, et continuo tota febris abiit, vigor et alacritas rediit sic, ut ministraret illis cibum capientibus.	Et cum venisset Iesus in domum Simonis Petri, illius socrum reperit febribus laborantem, et in lecto periculose decumbentem. Rogatus ut eam sanaret, nihil cunctatus accedit ad lectum, mulieris manum apprehendit, ut eam erigat, et eodem instanti sanata est: vigor et alacritas pristina sic rediit, ut Christo cum discipulis cibum sumenti illa ministraret.

3. *De Glossis.*

Glossae (γλῶσσαι cfr. *Aristotel.* Poet. 21, 4 sqq. vel γλωσσήματα) apud antiquos vocantur vocabula peregrina, obsoleta, obscura, idiotismi; cfr. *Quintil.* Instit. orat. I, c. 1: « Protinus enim potest (puer) interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλώσσας vocant, ediscere »; ib. 8: « circa glossemata etiam, id est voces minus usitatas non ultima eius professionis diligentia est ». Demum nomine glossarum designantur adnotationes breviores quibus vocabula obscura explicantur, cfr. *Alcuin.* Grammatica (PL. 101, 858): « Glossa est unius verbi vel nominis interpretatio, ut catus, id est doctus ».

Grammatici Alexandrini operibus auctorum classicorum solebant addere huiusmodi glossas explicantes; ab ipsis hi qui sacris Litteris operam dabant hunc usum receperunt apponentes sacro textui breves notas, quibus sensum vocum minus notarum clarum reddebant, e. g. Mc. 7, 2: « κοιναῖς χερσίν, τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις » Medio aevo in genere breviores explicationes excerptae ex operibus SS. Patrum solebant vocari glossae; scribebantur vel in margine (Glossa *marginalis*) vel inter lineas sacri

textus (Glossa *interlinearis*). Celeberrimae sunt *Glossa ordinaria Walafridi Strabonis* († 849, PL. 113 et 114) et *Gl. interlinearis Anselmi Laudunensis* († 1117); in hac altera tantummodo vocabula obscuriora explicantur.

4. *De Scholiis.*

Scholion (σχόλιον à σχολή = otium) = mora facta in lectione ad aliquid explicandum, designat brevem notam grammaticalem vel criticam (1). Iuxta *Suidam* σχόλια sunt ἑρμηνεῖαι, σεμνολογήματα (interpretationes); in genere intelliguntur breves notae, quibus explicantur difficultates grammaticales, historicae, archaeologicae, geographicae. A grammaticis Alexandrinis auctores christiani adoptarunt usum textum biblicum scholiis illustrandi. Sic *Origenes* composuit scholia in sacros libros; cfr. *S. Hieronym.* interpr. homil. Orig. in Ierem. et Ezech. prol. (PL. 25, 612): « et illud breviter admoneus, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum eius opus Excerpta, quae graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea, quae sibi videbantur obscura atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perstrinxit ».

Scholia graeca in libros Novi Testamenti ediderunt *Io. Gregorius,* Novum Testamentum una cum Scholiis graecis, Oxonii 1703; *Chr. Fr. Matthaei,* Novum Testamentum cum Scholiis graecis maximam partem ineditis, Rigae 1782-1783; *I. G. Rosenmüller,* Scholia in Novum Testamentum, Norimbergae 1803-1805.

Exempla: Mt. 5, 22: Ὁ λέγων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ῥάκα. Οὗ μεγάλης ἐστὶν ὕβρεως τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ καταφρονήσεως· σημαίνει δὲ σὺ τῇ Σύρων γλώττῃ· ἄλλοι δὲ τὸ διαρρηγμένος, ὅ ἐστι ῥακοστόλος λέγουσιν.

Mt. 7, 5: ὑκοκριτὴν δὲ λέγει τὸν ἐν τοῖς ἑτέρων ἁμαρτήμασιν ὄντα πικρὸν ἐξεταστὴν, ἑαυτὸν δὲ μὴ διορθούμενον.

(1) *Cicero* ad Attic. XVI, 7, 3 hac voce utitur: « velim σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istud facere ».

Scholiis admunerari posunt Notationes in totam Scripturam auctore *Em. Sa* († 1596).

Postillae sunt breves explicationes continuae sacrorum librorum, quae scribebantur *post verba sacri textus,* unde nomen = *post illa verba* (textus). *Nicolaus Trivetus* (1245) dicit de *Stephano Cantuariensi:* « Hic super Bibliam Postillas fecit ». *Nicolaus Lyranus* († 1340) composuit Postillas perpetuas in Vetus et Novum Testamentum (ed. Romae 1471-1472).

5. *De Commentariis.*

Commentarius (διήγησις, ἐξήγησις = explanatio, enarratio, expositio) est solida, erudita, argumentis firmata alicuius libri S. Scripturae vel totius S. Scripturae explicatio. Scopus principalis ergo commentarii est sensum sacrarum Litterarum dilucidare et adductis argumentis confirmare. Exegeta potest sequi versionem latinam Vulgatae, sicut *Leo XIII* litteris encyclicis « Providentissimus Deus » pro illa explicatione sacrorum librorum quae fit in scholis theologicis, statuit (1), ita tamen ut semper conferat textus originales et antiquas versiones; sed nostris diebus etiam auctores catholici ipsos textus originales commentariis scientificis explanant. Utatur exegeta omnibus scientiarum subsidiis, ut textum sacrum penitus enucleet, videlicet philologia, historia, archaeologia, geographia etc., neque ullam difficultatem vel obscuritatem negligat, explicationem propositam in quantum fieri potest, solidis argumentis probet opinionesque oppositas refellat.

Explicationi libri praemitti solet ampla *introductio* in qua agitur de auctore, tempore, occasione, scopo, argumento, divisione, fontibus libri, de conditionibus textus. Iuxta *Hugonem a S. Caro* († 1263) (2) in prologo

(1) Enchiridion Biblicum 33 n. 91.
(2) Opera I Lugduni 1669, 178.

commentarii tractari debet: « quae sit materia, quis auctor, quae intentio, quae utilitas, quis modus agendi, quis titulus ». Addi solet et catalogus operum quibus scriptor commentarii usus est.

Quodsi necessarium fuerit, textus biblicus *ope artis criticae* corrigendus est atque statuendum, quae ex lectionibus variantibus praeferri mereatur. Perspicuitatis causa textus explicandus dividatur in maiores et minores sectiones, quibus praemittatur analysis argumenti. Textui explicando plerumque additur versio fidelis.

Dispositio commentarii duplici modo fieri potest: vel primo ponitur sectio textus explicandi una cum versione vel sola versio eiusdem, ac deinde textus in continuum explicatur iuxta contextum et per singulos versiculos; vel textus sacer cum versione vel sola versio ponitur supra lineam, explicationes vero philologicae, historicae, dogmaticae etc., infra lineam.

Priori modo e. g. procedunt exegetae S. I. in *Cursu Scripturae sacrae*, saltem pro Novo Testamento et pro libb. Sap. Eccli. Mach. (textus graecus et versio Vulgata cum notis criticis, explicatio), *V. Zapletal*, Das Buch Kohelet, Freiburg 1905 (textus hebraicus emendatus, expositio, in fine cuiusvis capitis versio germanica), *Felten*, Die Apostelgeschichte, Freiburg 1892 (versio germ. explicatio), *Th. Calmes*, l'Evangile selon saint Jean, Paris 1904 (versio gallica, commentarius), *Henle*, Der Epheserbrief, 2. ed., Augsburg 1908 (textus graecus cum versione germanica, explicatio), *I. E. Belser* in commentariis suis, *P. Fonck* in explicatione Parabolarum et Miraculorum Domini; inter acatholicos editores commentarii, cui titulus « *The international critical Commentary, Edinburgh* » (versio anglica, expositio) etc., *Sellin*, Kommentar zum A. T.

Alterum modum sequuntur *Lagrange, Dhorme, Podechard* etc., in opere collectivo: « *Etudes bibliques* » (Paris): in explicatione librorum V. T. supra lineam ponitur versio gallica cum notis criticis, infra lineam

amplae explicationes, in libris N. T. additur textus graecus; *I. Vosté,* Commentarius in ep. ad Thess., Romae 1917, ad Ephesios 1921 (textus graecus et versio Vulgata), *Commentarii Brugenses,* ex acatholicis *W. Nowack,* Handkomentar etc.

Nexus sententiarum difficilium explanetur; quodsi diversae interpretationes possibiles sunt, perpendatur, quae maiore probabilitate gaudeat, praecipue si Patres diversas explicationes textus difficilis proponunt. In locis, ubi agitur de rebus maioris momenti, inserantur dissertationes sive *excursus* historici vel doctrinales, in quibus quaestiones historicae vel dogmaticae penitius discutiuntur. Vera enim exegesis non est tantum philologica tractatio textus sacri, sed *explicatio veritatum* quae in sacris libris traduntur. Nam iuxta verbum Apostoli sacra Scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia (II Tim. 3, 16). Nostris diebus etiam ab auctoribus catholicis eduntur commentarii in s. Scripturam, qui consistunt fere exclusive in critica emendatione textus originalis ope antiquarum versionum et in distinctione fontium quibus hagiographus usus est; doctrinae explicatio vix in hisce operibus invenitur. Nemo negabit etiam huiusmodi criticam tractationem textus utilem esse, dummodo ne ornetur nomine « *Commentarii* », cum non sit expositio sensus a Deo et ab auctore sacro intenti. Sacra enim Scriptura data nobis fuit non tantum ad exercendum ingenium criticum aut ostentandas cognitiones philologicas, sed uti in litteris encyclicis « Spiritus Paraclitus » ex mente S. Hieronymi dicitur: « primum in iis paginis cibus quaerendus est, unde vita spiritus ad perfectionem alatur, deinde argumenta ex Scripturis petenda sunt, quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur; praecipuus denique Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet sancte fructuoseque exercendum » (1). Si interpretatio divina-

(1) Enchiridion Biblicum 149 n. 495 et 150 n. 496 et 497.

narum Litterarum mere philologice tractatur, si doctor S. Scripturae alumnis suis longas paginas de usu particulae *καί* vel similia dictat neque ullo modo aperit thesaurum divinarum veritatum in Scripturis latentem, futuri praedicatores verbi Dei ariditatem talis interpretandi modi abhorrentes nullum ex sacris Litteris fructum percipient. Hinc bonus interpres non abstinebit a sollicite enucleandis veritatibus dogmaticis et moralibus neque negliget ea quae conferunt ad pietatem fovendam. Hoc optimo modo praestitit e. g. *Bernardinus a Piconio* in triplici expositione librorum Novi Testamenti, qui licet solum textum latinum explicet neque omnes difficultates consideret, solide sensum sacrorum auctorum explanat atque commentario corollaria pietatis seu pias considerationes addit; *P. Fonck* S. I. parabolas et miracula Salvatoris maxima cum eruditione exponit non omissis iis quae ad pietatem et practicum usum sacri textus spectant.

De expositione populari practica quae fit in *homiliis*, hic non ex professo agemus, cum de ipsa sermo fiat in tractatibus de eloquentia sacra (1). Hoc unum dicamus concionatorem sacrum debere sibi assimilare verbum Dei scriptum assidua lectione (2) et pia meditatio-

(1) Cfr. *G. Audisio*, Lezioni di Eloquenza sacra ², Torino 1870. *I. Jungmann*, Theorie der geistlichen Beredsamkeit, Freiburg 1895, 4 ed. cur. *I. Gatterer*, 1908: *Hettinger*, Aphorismen über Predigt u. Prediger, Freiburg 1888, 1907 ²; *P. Keppler*, Adventsperikopen (Bibl. Studien IV, 1), Freiburg 1899; *A. Meyenberg*, Homiletische u. katechetische Studien im Geiste der heil. Schrift u. des Kirchenjahres⁵, Luzern 1907, italice vertit *E. Roccabruna*, Studi omiletici e catechistici per la pratica del pulpito; hispanice *Ramón Ruiz Amado* S. I., La Prática del Púlpito; *C. Krieg*, Wissenschaft der Seelenleitung. III: Homiletik oder Wissenschaft von der Verkündigung des Gotteswortes, ed. *I. Ries*, Freiburg 1915: italice vertit *A. Boni*, Scienza pastorale III Omiletica. Torino 1920: *I. Nikel*, Die Verwendung des A. T. in der Predigt, Breslau 1913 etc.

(2) Cfr. *S. Isidor.*, Sent. III, c. 9 (PL. 83, 680): « Nemo potest sensum Scripturae Sanctae cognoscere nisi legendi familiaritate. Quanto quisque magis in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit ».

ne (1); consulat probatos interpretes, quorum ope textum sacrum melius intelligat, imprimis pervolvat opera sanctorum Patrum (2), ut caelestem thesaurum sacrarum Scripturarum fructuosum reddere possit in adimplendo arduo atque sublimi officio verbum divinum tamquam spiritualem animae cibum fidelibus praebendi. Sermo eius, ut ait *S. Hieronymus,* ep. 52 ad Nepotianum, n. 8 (PL. 22, 534): « Scripturarum lectione conditus sit ». Ii enim, ita *Leo XIII* in litteris encyclicis « Providentissimus Deus »: dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei. Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est, quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam » (3).

(1) Vide *S. Gregor. M.,* Reg. past. II, c. 11 (PL 77, 48, 50): « Studiose quotidie sacri eloquii praecepta meditetur, ut in eo vim sollicitudinis et erga caelestem viram divinae admonitionis verba restaurent..... Quia nimirum necesse est, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant ». *S. Bonaventura* in Luc. 9, 28: « Sicut Dominus multiplicavit divina benedictione quinque panes hordeaceos, sic omnis abundantia verae doctrinae sumi debet e fundamento sacrae Scripturae, multiplicanda per orationem qua in caelum respicitur, et devotione qua benedicitur, et meditatione qua frangitur, et praedicatione qua distribuitur et applicatur ».

(2) Cfr. *Cassiodor.* de instit. div. litt. praef. (PL 70, 1107): « Indubitanter ascendamus ad divinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum... ut eorum sensibus provecti ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur ».

(3) Enchiridion Biblicum 26 n. 72. Vide litteras encyclicas Pii X ad archiepiscopos et episcopos Italiae de d. 28 Iulii 1906, Acta S. Sedis XXXIX (1906) 320 sq.

Appendix.

Historia Exegeseos.

Prima vestigia interpretationis sacrarum Litterarum inveniri possunt in operibus Patrum apostolicorum et Apologetarum saeculi secundi et tertii, qui licet non ex professo divinos libros exponerent, passim eloquia sacra citabant et explicabant iuxta finem apologeticum vel polemicum quem prae oculis habebant. Auctor epistolae quae dicitur *Barnabae*, indulget methodo cabbalisticae, quae in singulis vocabulorum litteris et in quolibet numero profunda mysteria detegit; sic e. g. circumcisio 318 servorum Abrahae (Gen. 17, 27, cfr. 14, 14) innuit crucifixionem Iesu, nam litterae ιη (18) exprimunt nomen Iesu et T (300) significat crucem (c. 9). Opus *Papiae* (cfr. *Iren.* V, 33, 4 PG. 7, 1214), cui titulus erat: Explanatio sermonum Domini (*Hieronymus* de vir. ill. 18 PL. 23, 670), graece: Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις, *Eusebius*, hist. eccl. III, 39, 1, PG. 20, 269 sq.) videtur potius fuisse synthesis biblico-theologica doctrinae a Christo revelatae quam opus exegeticum (1). De scriptis *Melitonis Sardensis* (temporibus Antonini Pii et Marci Aurelii) nihil fere conservatum est (2). Cuiusnam indolis fuerint Μεταφράσεις *Tatiani*, nescimus, cum *Eusebius* (l. c. IV, 29, 29, 6, PG. 20, 401) praeter titulum

(1) Fragmenta collecta invenies apud *Funk*, Patres apostolici ², I Tub. 1901, 346-375; **E. Preuschen*, Antilegomena ², Giessen 1905, 91 sqq.

(2) Clavis Scripturae quam Card. *Pitra* edidit in Spicilegio Solesmensi 2-3 I Parisiis 1855 et in Analectis sacris II ib. 1884, non est versio latina operis Melitonis.

nihil de ipsis tradiderit. Idem dicendum est de commentariis in Evangelia et Proverbia quos teste *Hieronymo* (de vir. ill. 25, PL. 23, 678) *Theophilus Antiochenus* composuit.

Scientifica interpretatio S. Scripturae originem habuit in *scholis christianis* quae saeculo secundo ac deinceps florere coeperunt.

De schola Alexandrina (1).

Primum inter scholas christianas obtinuit locum schola *Alexandrina* saeculo secundo fundata; sub finem illius saeculi ibi docebat *Pantaenus*, qui iuxta Eusebium (hist. eccl. V, 10, PG. 20, 453) verbo et scripto divinarum Litterarum thesauros exposuit. Ipsi successit *Clemens Alexandrinus* († c. 215) qui *triplicem* in sacra Scriptura admisit sensum, litteralem, moralem et propheticum sive allegoricum; ipse putat universam fere Scripturam explicandam esse allegorice (Strom. V, 6, PG. 9, 56).

Interpretatio allegorica non est originis christianae neque iudaicae, sed primum invenitur apud auctores paganos. Doctiores nempe inter gentiles, imprimis philosophi Stoici, offendebantur absurditate fabularum turpium quae de diis Olympicis tradebantur, hinc explicatione allegorica profundiorem in eis sensum indagare conabantur (2); ita e. g. *Cornutus* († c. 66 p. Chr.) in opere de natura deorum sive compendio theologiae graecae (3), et *Heraclitus* in libro inscripto « Allegoriae Homericae », qui interpretationem allegoricam vocat

(1) Cfr. **C. F. W. Hasselbach*, De schola quae Alexandriae floruit catechetica, Stettin 1826-1839; **Ch. Bigg*, The christian Platonists of Alexandria, Oxford 1896; *F. Vigouroux*, École exégétique d'Alexandrie, Dictionnaire de la Bible I 358-392; *A. de la Barre*, École chrétienne d'Alexandrie, Dictionnaire de Théologie I 805-824.

(2) Cfr. *M. Decharme*, Critique des traditions religieuses chez les Grecs, Paris 1906, 272 sqq.

(3) Edidit *C. Lang*, Lipsiae 1887.

medicamentum contra impietatem (ἀντιφάρμακον τῆς ἀσεβείας) et asserit Homerum impie egisse, nisi allegorice locutus esset (πάντῃ γὰρ ἠσέβησεν Ὅμηρος εἰ μὴ ἠλληγόρησεν) (1) vide etiam *Ciceronem* de natura deorum II, 25, 64-27, 69.

Ab ipsis schola Alexandrina hellenistica hunc interpretandi modum assumpsit, ut doctrinam revelatam Veteris Testamenti cum philosophorum graecorum placitis conciliaret. Mentione digni sunt *Aristobulus* (c. 175-150 a. Chr.) qui teste *Eusebio* (praepar. evangel. VII, 13, PG. 21, 548) scripsit τὴν τῶν ἱερῶν νόμων ἑρμηνείαν (explanationum in Moysen commentarium, *Hieron.*) et sacras Litteras allegorice exposuit, *Pseudo-Aristeas* ep. ad Philocratem (2) et imprimis *Philo Alexandrinus* († p. 40 p. Chr.) (3), quem *S. Isidorus Pelusiota* (ep. III, 19 PG. 78, 475) vocat θεωρητικώτατον inter Iudaeos. Ipse duplex admittit elementum in S. Scriptura, *historiam* quae est velut umbra (σκιά) et *sensum allegoricum* qui altiores veritates exprimit. Historia sive sensus litteralis vocatur a Philone αἱ ῥηταὶ γραφαί (de Abr. 41), τὰ ῥητά (ib. 38) ἡ ῥητὴ διήγησις (de Ioseph 6); sensus allegoricus dicitur τὰ νοητά (Abr. 38), τὰ ἐν ὑπονοίαις (de Ios. 6), ἡ ἐν ἀλληγορίᾳ θεωρία (Abr. 25), etc.

Sensus litteralis iuxta Philonem excludendus est: 1) quoties aliquid in sacris libris enuntiatur quod videtur esse Deo indignum, e. g. Deum plantasse arbores

(1) Cfr. **P. Wendland*, Die hellenistisch-römische Kultur 2.3, Tübingen 1912, 113. Quid sit allegoria, Heraclitus hoc modo explicat: ὁ γὰρ ἄλλα μὲν ἀγορεύειν τρόπος ἕτερα δὲ ὧν λέγει σημαίνων ἐπωνύμως ἀλληγορία καλεῖται.

(2) Ed. **H. St J. Thackeray* apud **H. B. Swete*, An Introduction to the Old Testament in Greek, Cambridge 1902, 519-574.

(3) Cfr. *E. Herriot*, Philon le Juif, Paris 1898, 185-199; **K. Siegfried*, Philo von Alexandria als Ausleger des A. T., Iena 1875, 160 sqq.; *E. Bréhier*, Les idées philosophiques et religieuses de Philon d'Alexandrie, Paris 1908, 45 sqq.; *Martin*, Philon, Paris 1907, 24 sqq.; *P. Heinisch*, Der Einfluss Philo's auf die älteste christliche Exegese (Alttestamentliche Abhandlungen 1-2), Münster 1908.

in paradiso; 2) quoties sensus litteralis continet difficultates insolubiles; 3) quoties ipse modus loquendi allegoricus cogit a sensu litterali recedere, e. g. arbor scientiae boni et mali. Scriptura ipsa indicat sensum profundiorem sive allegoricum repetitione eiusdem vocabuli, e. g. Lev. 18, 6: ἄνθρωπος ἄνθρωπος πρὸς πάντα οἰκεῖα σαρκὸς αὐτοῦ οὐ προσελεύσεται, etc., vocabulis quae videntur esse superflua e. g. Exod. 21, 15: θανάτῳ θανατοῦσθαι (quibus verbis exprimitur mors spiritualis hominis impii), vel Gen. 15 5: ἐξήγαγεν αὐτὸν ἔξω (Deus liberavit Abraham de vinculis corporis), etc.

Vestigia interpretationis allegoricae divinarum Litterarum inveniuntur in scriptis Patrum apostolicorum et Apologetarum; sic e. g. secundum *Clementem Romanum* ep. I ad Cor. 12 funiculus coccineus quem Rahab appendit in fenestra (Ios. 2, 21) significat sanguinem *Christi; S. Iustinus* dial. 42 (PG. 6, 565) docet 12 tintinnabula assuta vesti summi sacerdotis praefigurare 12 apostolos summi pontificis Christi; duo hirci qui adducuntur die expiationis (Lev. 16, 7) indicant duplicem adventum Domini (ib. 41 ib. 564), etc. Sed praecipue *Clemens Alexandrinus* (1) hanc interpretandi rationem excoluit, de qua agit in toto fere quinto Stromatum libro. Ipse erroneum esse putat soli sensui verbali adhaerere (Strom. VII, 16, 96, PG. 9, 533: αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρῆσθαι τῇ λέξει), cum semper et sensus absconditus considerandus sit (Strom. VI, 15, 31, PG. 9, 356: τὰ σημαινόμενα σκοπεῖν). Simplex enim intellectus iuxta litteram (κατὰ τὴν ψιλὴν ἀνάγνωσιν ἐπιλαμβανομένη) est pro incipientibus; illi qui provectiores sunt fide, profundiorem intelligentiam quaerunt. Sic in quatuor coloribus tabernaculi foederis invenit adumbrata quatuor elementa; numerus quinarius exprimit sensualitatem, numerus senarius est symbolum generationis et mundi sensibilis. Clemens praeter alia scripsit commentarium

(1) Cfr. *E. de Faye*, Clément d'Alexandrie ², Paris 1909, 222 sqq.

succinctum in S. Scripturam, cui titulus erat ὑποτυπώσεις (adumbrationes), de quo opere *Photius* (cod. CIX PG. 103, 384) severissime iudicat; praeter varia fragmenta graeca conservata ab *Eusebio, Maximo Confessore, Ioanne Moscho, Oecumenio* exstat versio latina adumbrationum in epistolas canonicas (I Petr. I et II Io. Iud.) quae attribuitur *Cassiodorio*, sed probabiliter iussu eius ab alio confecta est [1].

Magis adhuc interpretationi allegoricae sacrarum Litterarum indulsit *Origenes* († 254 vel 255) [2], successor Clementis in schola Alexandrina. Ipse distinguit *litteram* et *spiritum* (iuxta II Cor. 3, 6), interdum vero triplicem videtur admittere sensum in sacris Litteris [3] secundum trichotomiam Platonis: corpus (σῶμα), animam (ψυχή) et spiritum (πνεῦμα), e. g. de princ. IV, 11 (PG. 11, 364 sq.) · ὥσπερ γὰρ ὁ ἄνθρωπος συνέστηκεν ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς καὶ πνεύματος, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ οἰκοδομηθεῖσα ὑπὸ θεοῦ εἰς ἀνθρώπων σωτηρίαν δοθῆναι Γραφή. Sensus infimus est *corporalis*, quo nomine Origenes designat sensum *litteralem* qui terminis propriis absque figuris et metaphoris exprimitur, ergo illum sensum quem nos appellare solemus *sensum litteralem proprium*. Origenes vocat eum τὸ σῶμα, ἡ σάρξ,

[1] Omnia quae exstant, collecta invenies apud **O. Stählin*, Die Griech. christl. Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte: Klemens v. Alexandrien III Leipzig 1909, 195-215. De Clemente cfr. *P. Batiffol*, Littérature grecque [4], Paris 1904, 165 sq.; *O. Bardenhewer*, Patrologie [3] Freiburg 1910, 116; Geschichte der altkirchl. Literatur II [2] ib. 1914, 40-92.

[2] Cfr. **E. R. Redepenning*, Origenes. Eine Darstellung seines Lebens und seiner Lehre I Bonn 1841, 279 316; *A. Zöllig*, Die Inspirationslehre des Origenes (Strassburger theol. Studien V. I) Freiburg 1902; *F. Prat* S. I. Origène le théologien et l'exégète, Paris 1907, 122 sqq.; Appendix II, 174 sqq.: L'herméneutique d'Origène; *Bardenhewer*, Patrologie 128 sq. Geschichte der altkirchl Literatur II [2], 156-159.

[3] Cfr. *Tixeront*, Histoire des dogmes, I [2], Paris 1909, 281-283; Précis de patrologie [2] 1918, 118-121.

τὸ γράμμα; explicare Scripturam in sensu litterali dicitur: intelligere Scripturam κατὰ λέξιν, κατὰ ῥητὸν, κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν αἴσθησιν, κατὰ ψιλὴν ἱστορίαν. Notandum tamen nomine sensus spiritualis apud Origenem et alios auctores non tantum *sensum typicum* designari, sed etiam sensum *litteralem improprium* sive translatum; hinc si affirmant hunc vel illum locum non debere sumi secundum litteram, sed spiritualiter esse intelligendum, non potest semper colligi eos sensum litteralem negasse. Praecipue tamen sensus typicus vocatur sensus spiritualis. Quis sit sensus *animalis*, Origenes nullibi aperte dicit, sed ex variis exemplis ab ipso allatis apparet hunc sensum correspondere sensui *morali*. Explicare Scripturam in sensu spirituali dicitur illam intelligere κατὰ ἀναγωγήν, κατὰ μεταφοράν, κατὰ τὸ νοούμενον, ὀξύτερον, θεοπρεπέστερον, μυστικώτερον. De diversis modis sensus spiritualis ita loquitur hom. 1 in Ps. 36 n. 1 (PG. 12, 1319): « Aliquando (Scriptura) ineffabilia sacramenta nos edocet in his quae loquitur, aliquando autem de Salvatore et de eius adventu nos instruit, interdum vero mores nostros corrigit et emendat. Propter quod nos tentabimus per loca singula Scripturae divinae huiusmodi differentias assignare et discernere, ubi prophetiae sint et de futuris dicatur, ubi autem mystica aliqua indicantur, ubi vero moralis est locus ».

Origenes non negat sensum litteralem Scripturarum, immo admittit multo plura accipi debere secundum litteram quam secundum spiritum (πολλῷ γὰρ πλείονά ἐστι τὰ κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀληθευόμενα τῶν προσυφασθέντων γυμνῶν πνευματικῶν). Multis tamen in locis neglecta littera solam spiritualem intelligentiam quaerit, unde iam *Porphyrius* Neoplatonicus ei obicit, quod totam fere veteris revelationis historiam in nihilum redigat (*Euseb.* hist. eccl. VI, 19, PG. 20, 561).

At non semper constat ipsum veritatem historicam factorum negasse. Quodsi e. g. hom. 10 in Gen. n. 4 (PG. 12, 218) dicit: « In his non historiae narrantur,

sed mysteria contexuntur », iuxta *Prat* (1) non intendit asserere haec non esse in sensu historico accipienda, sed tantum urget necessitatem ea interpretandi spiritualiter ad inveniendam in ipsis materiam aedificandae pietatis. In Exod. hom. 1 n. 5 (PG. 12, 302) scribit: « Non nobis haec ad historiam scripta sunt », i. e. hae narrationes in sensu obvio sumptae possunt sufficere Iudaeis, nos vero in ipsis altiorem significationem debemus quaerere.

Secundum Originem sensus corporalis relinquendus est, quoties ex ipso sequeretur aliquid impossibile, absurdum aut Deo indignum (ἀδυνατά, προσκόμματα, σκάνδαλα). Hoc principium optimum est, si nomine sensus corporalis intelligitur sensus litteralis proprius, multa enim in Scripturis figurate dicta sunt, quae nequeunt sumi in significatione propria, e. g. « si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs se » (Mt. 5, 29). Origines contendit plerasque leges mosaicas non secundum litteram accipiendas esse, secus enim hominum leges, verbi gratia Romanorum aut Atheniensium aut Lacedaemonum viderentur magis elegantes et rationabiles legibus mosaicis. Si vero secundum intelligentiam quam docet Ecclesia accipiatur Dei lex, tunc plane omnes humanas superat leges et vere Dei lex esse creditur (In Lev. hom. 7, n. 5, PG. 12, 488 sq.). Variae narrationes V. T. e. g. historia filiarum Loth, gesta Abrahae apud Pharaonem et Abimelech, etc. iuxta ipsum nihil prorsus ad aedificationem conferunt, si litteraliter intelliguntur. Ne ergo dicatur in S. Scriptura esse quaedam nociva vel saltem inutilia, Origenes necesse esse putat in huiusmodi historiis quaerere sensum spiritualem sive allegoricum. Quae interpretatio spiritualis utilis est ad solvendas difficultates et apparentes contradictiones. In casibus admodum raris Evangelistae ducti

(1) Op. cit. 185.

desiderio clarius docendi aperte negligunt historicam veritatem, immo veritatem spiritualem sub specie mendacii historici (ἓν σωματικῷ ὡς ἄν εἴποι τις ψεύδει) exhibent (In Io. X, 4, PG. 14, 313). Hagiographi volunt plenam veritatem proponere secundum litteram et secundum spiritum; quodsi hoc impossibile evadit, spiritum praeferunt litterae.

Origenes dependet a *Philone* (ita *Photius* Cod. 105, PG. 103, 373); teste *Porphyrio* (ap. *Euseb.* hist. eccl. VI, 19, PG. 20, 561) etiam a *Cornuto* et *Chaeremone* Stoicis. Quodsi in adhibenda interpretatione allegorica iustos limites excessit, prae oculis habendum est multos purae litterae S. Scripturae plus aequo adhaesisse. *Chiliastae* sibi fingebant regnum mille annorum, in quo homines omnibus voluptatibus frui possent, alii velut *Gnostici* anthropomorphismos V. T. ad rigorem litterae sumebant, *Iudaei* Iesum Messiam recusabant, quia vaticinia prophetarum stricte litteraliter interpretantes regnum terrenum exspectabant. His Origenes opposuit explicationem allegoricam, quae si cum debito moderamine adhibetur, optima est.

De Origene dicitur in litteris encyclicis « Providentissimus Deus »: « Inter Orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt » (1). Opera eius exegetica triplicis sunt generis. Audiatur hac de re *S. Hieronymus* interpr. hom. in Ier. et Ezech. prol. (PL. 25, 612): « Illud breviter admoneo, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum eius opus *Excerpta,* quae graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea quae sibi videbantur obscura atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perstrinxit. Secundum *homileticum* genus, de quo et prae-

(1) Enchiridion Biblicum 28 n. 77.

sens interpretatio eius est (1). Tertium quod ipse inscripsit τόμους, nos *volumina* possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit et recedens a terra in medium pelagus aufugit ».

Scholia scripsit Origenes in libros Gen. Exod. Lev. Num. Psalm. Eccle. Isai. Mt. Io. ep. ad Galatas (2). De *homiliis* eius circiter 200 conservatae sunt in versione latina *Rufini* et *Hieronymi* (3). *Commentarios* sive scientificas explanationes exaravit in Gen. 1-4, in plures Psalmos (4), in Canticum Canticorum (5), in Is. 1-30, Lamentationes, Ezech. proph. min. (excepto Abdia) Mt. (6) Luc. Io. epistolas Pauli (except.

(1) Cfr. *Batiffol*, Lit. grecque 170: « Les homélies sont pour la plupart des improvisations sténographiées, des formes très simples, pleines de traits de mœurs. Origène y reste l'exégète allégoriste systématique qu'il est toujours; mais le moraliste et le catéchiste y ont une part plus grande ».

(2) *C. *Diobouniotis* et *A. *Harnack*, Der Scholien-Kommentar des Origenes zur Apk. Johannis (Texte u. Unters. 3. R. VIII, 3) Leipzig 1911 ediderunt scholia Origenis in Apocalypsim quorum genuinitas impugnatur a *G. *Wohlenberg*, Theol. Literaturbl. XXXIII (1912) 25-30; 49-57 et *Th. Schermann*, Theol. Revue XI (1912) 24; vide etiam *Bardenhewer*, Geschichte etc. II², 122 sq.

(3) Cfr. *W. *A. Baehrens*, Origenes, Homilien zum Hexateuch in Rufins Uebersetzung. 1. Leipzig 1920-1921. 2. 1921. Etiam *E. *Klostermann*, Griechische Excerpte aus Homilien des Origines. Leipzig 1894; Die Ueberlieferung der Jeremiashomilien des Origenes, ib. 1897; *W. A. Baehrens*, Ueberlieferung u. Textgeschichte der lateinisch erhaltenen Origeneshomilien zum A. T. (Texte u. Unters. XLII. 1) Leipzig 1916; Cfr. praeterea *Bardenhewer* op. cit. 124-139.

(4) Vide *Aem. Wagner* O. S. B., Die Erklärung des 118. Psalmes durch Origenes, Linz 1918.

(5) De interpretatione Cantici ita iudicat *S. Hieronymus* interpr. hom. in Cant. prol.: « Origenes, cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico canticorum ipse se vicit ». Cfr. ep. 84 (al 65) ad Pammachium et Oceanum n. 7. (PL. 22, 749).

(6) Sec. *Hieronymum* in Mt. prol. (PL. 26, 20) Origenes scripsit in hoc evangelium viginti quinque volumina et totidem homilias commaticumque interpretationis genus; cfr. etiam *C. *H. Turner*, Journal of theol. Studies XII (1910-11) 102-107; Origenes Werke 8. B.:

I-II Tim.) (1). Nullus ex his commentariis integer ad nos pervenit, multa conservata sunt fragmenta graeca in Catenis, alia in versione latina (2).

De asseclis et adversariis Origenis.

Vestigia Origenis secuti sunt *Theognostus* qui post *Dionysium Magnum* scholae Alexandrinae praefuit, *Pierius*, *S. Gregorius Thaumaturgus* († p. 270), discipulus Origenis, qui exaravit paraphrasim in Ecclesiasten P. G. 10, 987-1018) et imprimis *Eusebius Caesareensis* († 340) qui, in quantum erat historiographus, sensum litteralem praeferre debuit, sed in reliquis scriptis cedens influxui Origenis indulsit interpretationi allegoricae sacrarum Litterarum, praecipue in *Demonstratione evangelica* (εὐαγγελικὴ ἀπόδειξις PG. 22, 13-794) et in commentariis, de quibus ad nostram aetatem pervene-

---

**W. A. Baehrens*, Homilien zu Samuel I, zum Hohelied und zu Propheten, Kommentar zum Hohelied in Rufins u. Hieronymus Uebersetzungen, Leipzig 1925.

(1) *S. Hieronymus* qui ep. (33) ad Paulam (PL. 22, 447) enumerat opera exegetica Origenis, omittit I Cor. et I-II Tim., sed Origenes ipse hom. 17 in Luc. (PG. 13, 1847) dicit: « Memini cum interpretarer illud quod ad Corinthios scribitur: Ecclesiae Dei quae est Corinthi cum omnibus qui invocant eum, dixisse me diversitatem ecclesiae et eorum qui invocant nomen Domini ». De commentariis in epistolas Paulinas cfr. * *Turner*, Dictionary of the Bible, Extra Volume, Edimburgh 1904, 490-496 et Journal of theol. Studies X (1908-9) 270 sqq.; **C. Ienkins*, ib IX (1907-8) 231-247; 353-372; 500-514; X (1908-9) 24-51; **Ramsbotham*, ib. XIII (1911-12) 209-224, 357-368; XIV (1912-13) 10-22.

(2) Fragmenta Veteris Testamenti ed. **E. Klostermann*, Die griech. christl. Schriftsteller: Origenes III Leipzig 1901; commentarium in Ioannem **E. Preuschen*, Origenes IV ib. 1903. — Vide etiam **A Harnack*, Der kirchengeschichtliche Ertrag der exegetischen Arbeiten des Origenes (Texte u. Unters. 3. R. XII 3-4) Leipzig 1918-1919.

runt explicatio Psalmorum (PG. 23 et 24, 9-76) et maior pars commentarii in Isaiam (PG. 24, 89-526) (1).

His adnumerandus est *S. Athanasius* († 373) (2) qui composuit explicationem allegorico-mysticam Psalmorum (1-146, PG. 27, 55-590); liber de *psalmorum titulis* cuius meminit *S. Hieronymus* (de vir. ill., 87, PL. 23, 731) et commentarii in Eccle. et Cant., de quibus loquitur *Photius* (Cod. 139, PG. 103, 420) periisse videntur. In scriptis dogmaticis et polemicis S. Athanasii praevalet sobria exegesis litteralis, in operibus exegeticis interpretatio allegorica.

Didymus Caecus († c. 398) (3) per multos annos praeerat scholae Alexandrinae; teste *Palladio* (Historia Lausiaca 4) Vetus et Nov. Test. per singulas sententias interpretatus est (4); de commentario in Mt. loquitur S. Hieronymus (de vir. ill. 109, PL. 23, 743; prol. in Mt., PL. 26, 20), qui mentionem facit etiam commentarii in I Cor. (ep. 49 n. 3. PL. 22, 54 et 119 n. 5, ib. 968), in ep. ad Gal. (prol. in Gal., PL. 26, 333, et ep. 112 n. 4, PL. 22, 918) et ad Eph. (in prol. Eph., PL. 26, 472, et contra Rufin. I, 16, 21, PL. 23, 428, 433). Sed de operibus huius eruditissimi viri pauca tantum fragmenta supersunt, imprimis in Psalm. Prov. Iob (PG. 29, 1119-1154, 1621-1646) (5). Cardinalis *Angelus Mai* a. 1853 in

(1) Cfr. **A. Heikel*, Die Demonstratio evangelica Leipzig 1913; *A. Bigelmaier*, Zur Theologie des Eusebius v. Caesarea, Kempten 1913; vide etiam *Batiffol*, Lit. gr. 204-213; *Bardenhewer*, Patrologie 275-281; Geschichte der altkirchl. Literatur III ², Freiburg 1923, 240-262.

(2) Cfr. *F. Lauchert*, Leben des hl. Athanasius des Gr., Köln 1911, 128-133; *Batiffol*, l. c. 269-275; *Bardenhewer*, Patrologie 210-218; Geschichte der altkirchl. Literatur III ², 44-79.

(3) Cfr. *G. Bardy*, Didyme l'Aveugle, Paris 1910; *Bardenhewer*, Geschichte III ², 104-115.

(4) Vide **Turner*, Journal of theol. Studies XII (1910-11) 112.

(5) Vide **I. Leipoldt*, Didymus der Blinde v. Alexandrien (Texte u. Unters. N, F. XIV, 3) Leipzig 1905, 17-23.

Nova Patrum Bibliotheca VI e codice Vaticano Reg. 40 edidit sub nomine Diodori Tarsensis fragmenta in *Psalmos*, quae iuxta *L. Mariès* (1) attribuenda sunt Didymo. Exstat in *epistolas canonicas enarratio* (PG. 39, 1749-1818) quam iussu Cassiodori *Epiphanius* scholasticus in latinum sermonem transtulit, attamen non est commentarius proprie dictus, sed potius catena e diversis auctoribus excerpta (2). Didymus sequitur principia exegetica Origenis, ante omnia evolvit sensum spiritualem (ἀναγωγή, διάνοια, θεωρία, νοῦς) (3).

Splendidissimum lumen ecclesiae Alexandrinae est *S. Cyrillus* († 444) qui omnes fere Veteris et Novi Testamenti libros explanavit. In opere de *adoratione et cultu in spiritu et veritate* libb. 17 (PG. 68, 133-1126) ostendit legem mosaicam abrogatam esse secundum litteram, sed manere secundum spiritum; in opere, cui titulus γλαφυρά (explicationes politae, PG. 69, 9-678) locos selectos Pentateuchi typice exponit. Exstant praeterea commentarii in *Isaiam* (PG. 70, 9-1450) et in *12 prophetas minores* (ib. 71-72, 9-364), in quo opere Cyrillus magis rationem habet sensus litteralis; insuper fragmenta in Ier. Bar. Ezech. Dan. (PG. 70, 1451-1462), in libb. Reg. (ib. 69, 679-698), Psalm. (ib. 69, 717-1274), Prov. et Cant. (ib. 69, 1275-1294). Iure merito laudatur commentarius in *Evangelium S. Ioannis* 12 libri (PG. 73-74, 9-756; duo libri 7. et. 8. desunt), in quo magis adhuc litteram sequitur (4), idem dicendum est de *homiliis in Lucam* (PG. 72, 475-950); exstat versio syriaca

(1) Un commentaire de Didyme publié sous le nom de Diodore, Recherches de science rel. V (1914) 73-78, vide et 246-251.

(2) Cfr. **E. Klostermann*, Ueber des Didymus von Alexandrien in Epistolas canonicas enarratio (Texte u. Unters. N. F. XIII, 2) Leipzig 1905; *F. Zoepfl*, Didymi Alexandrini in epistolas canonicas brevis enarratio (Neutestl. Abhandlungen IV, 1) Münster 1914.

(3) Cfr. **Leipoldt*, op. cit. 53-60.

(4) Edidit **Ph. E. Pusey*, Oxford 1872.

quam edidii * *R. Payne Smith* (1) et supplevit * *W. Wright* (2).

Neque tamen omnibus placebat modus ille excessivus Scripturas allegorice interpretandi; immo plures exegesim Origenis acriter impugnabant; hinc ipse conqueritur de iis qui sunt amici litterae, e. g. in Gen. 13, 3 (PG. 12, 232): « Si ergo incipiam et ego veterum dicta discutere et sensum in eis quaerere spiritualem, si conatus fuero velamen legis amovere et ostendere allegorica esse quae scripta sunt, statim mihi movebunt calumnias amici litterae et insidiabuntur mihi, inimicitias continuo et persecutiones parabunt veritatem negantes stare posse nisi super terram ».

Inter adversarios allegorismi numerandi sunt *S. Methodius* († 311. PG. 18, 9-408) et *S. Epiphanius* († 403) eposcopus Salaminae in insula Cypro, qui haer. 64 n. 4, (PG. 41, 1077) ita de Origene iudicat: ἀλληγορεῖ δὲ λοιπόν ὥσπερ δύναται τόν τε παράδεισον τάτε τούτου ὕδατα καὶ τὰ ἐπάνω τῶν οὐρανῶν καί τὸ ὕδωρ τὸ ὑπὸ κάτω τῆς γῆς. Ταῦτα δὲ καὶ τούτοις ὅμοια φλυαρῶν οὐ διαλείπει: demum quaecumque potest, ad allegorias transfert, velut paradisum et aquas, quae in eo sunt, quaeque et super caelestes orbes et sub terra collocantur. Haec et his similia nugari non desinit. Sed neque ipse Epiphanius influxui Origenis omnino se subtrahere potuit, nam in libello de *duodecim gemmis* (περὶ τῶν ιβ΄ λίθων, PG. 43, 293-366) multa allegorica de lapidibus in pectorali sum-

(1) S. Cyrilli Alex. archiepiscopi commentarii in Lucae evangelium quae supersunt syriace, Oxonii 1858.

(2) Fragments of the homilies of Cyril of Alexandria on the Gospel of St Luke, London 1874; cfr. etiam *I. Sickenberger*, Fragmente der Homilien des Cyrillus Alex. zum Lukasevangelium (Texte u. Unters. 3. R. IV, 1) Leipzig 1909, 63-108 (fragmenta graeca e catenis collecta); *A. Rücker*, Die Lukas-Homilien des hl. Cyrill v. Alexandrien, Breslau 1911; *I. B. Chabot*, Cyrilli Alex. commentarii in Lucam I (Corpus Scriptorum christianorum orientalium. Scriptores Syri. S. IV t. I) Paris 1912.

mi pontificis proponit. Sed praecipue schola quae vocari solet Antiochena excessui allegorismi modum imposuit.

De schola Antiochena (1).

Schola Antiochena sub finem saeculi tertii fundata est a duobus presbyteris *Dorotheo* et *Luciano,* qui a. 312 sub Maximiano imperatore martyrio coronatus est. *Dorotheus,* studiosissimus sacrarum Scripturarum, hebraicam quoque linguam addidicit et divinas Litteras in ecclesia non inscite exposuit (*Eusebius* hist. eccl. VII, 32, PG. 20, 721). *Lucianus,* qui dirigebat διδασκαλεῖον μέγα, hebraicae linguae gnarus criticae textuali praecipue operam dedit atque textum graecum LXX interpretum emendavit (2).

Inter auctores qui principia exegetica huius scholae sequebantur, mentione digni sunt: *Eusebius Emesenus, Theodorus Heracleensis, Eustathius Antiochenus, Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, Polychronius, S. Ioannes Chrysostomus, Severianus Gabalensis, S. Isidorus Pelusiota, Theodoretus Cyrensis, S. Nilus* etc.

(1) Cfr. *C. Hornung,* Schola Antiochena de S. Scripturae interpretatione quonam modo sit merita, Neostadii 1864; *Ph. Hergenröther,* Die Antiochenische Schule in ihrer Bedeutung für die Exegese, Würzburg 1866; *H. Kihn,* Die Bedeutung der antiochenischen Schule auf dem exegetischen Gebiet, Weissenburg 1866; **Nash,* The exegesis of the school of Antioch, Journal of biblical Literature XI (1892) 22-37; *Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible I 683-687; Revue bibl. I (1892) 59-64; *Ermoni,* Dictionnaire de Théologie, I 1435-1439; *L. Dennefeld,* Der alttestamentliche Kanon der antiochenischen Schule (Bibl. Studien. XIV, 4) Freiburg 1909, 16-25; *L. Allievi,* Antiche scuole cristiane, La Scuola Cattolica S. VI vol. IX (1927) 109-116.

(2) Cfr. *Batiffol,* Litérature grecque 187-190; *Prat,* Lucien d'Antioche, Dictionnaire de la Bible IV, 403-407; **Harnack,* Lucian v. Samosata, Realenzyklopädie XI (1902) 659-666; *Bardenhewer,* Geschichte der altkirchlichen Literatur II 2, 279-285; *L. Pirot,* L'œuvre exégétique de Théodore de Mopsueste, Rome 1913, 15-24.

Principia exegetica scholae Antiochenae clarissime exponuntur in epistolis *S. Isidori Pelusiotae,* in opere *Iunilii Africani* inscripto Instituta regularia divinae legis; multa inveniuntur in commentariis et homiliis *S. Ioannis Chrysostomi* (1) et praecipue in commentario in prophetas minores qui inter opera *Rufini* recensetur, sed uti *G. Morin* (2) demonstravit, attribui debet *Iuliano Aeclanensi,* fautori haereseos Pelagianae, qui a. 421 expulsus ex Italia se contulit ad *Theodorum Mopsuestenum,* a quo principia hermeneutica percepit. His addi debet praefatio *Diodori Tarsensis* in expositionem Psalmi 118, quam L. *Mariès* e codice Parisiensi Coisliniano gr. 275 edidit (3).

Antiocheni duplicem admittunt sensum in S. Scriptura: *litteralem* (τὸ γράμμα, ἡ λέξις, κατὰ γράμμα, τὸ ἁπλοῦν, ἱστορία, τὰ πράγματα, τὰ κείμενα) et *typicum* (τύπος sive εἰκών) i. e. prophetiam rebus expressam (ἡ διὰ πραγμάτων προφητεία). Quodsi loquuntur de sensu spirituali, saepissime, sicut Alexandrini, intelligunt sensum litteralem translatum; explicare S. Scripturam in sensu translato dicitur λέγειν τῆς ἀλληγορίας τὴν ἑρμηνείαν, τὰ σημαινόμενα ἐκδέχεσθαι etc.

Chrysostomus notat ad Gal. 4, 24 (PG. 61, 662): καταχρηστικῶς τὸν τύπον ἀλληγορίαν ἐκάλεσεν: praeter usum typum vocavit (Apostolus) allegoriam. De hac allegoria dicit *Diodorus Tarsensis*: ἱστορίαν προυκειμένην μὲν οὐδαμῶς ἀναιρεῖ, ἐπιθεωρεῖ δέ ἄλλα ὅμοια πράγματα, οὐκ ἀναιρουμένης τῆς ἱστορίας: allegoria historiam subiacentem minime destruit, considerat autem alia similia facta non sublata historia (i. e. non negato sensu litterali).

(1) Cfr. *S. Haidacher,* Die Lehre des hl. Johannes Chrysostomus über die Schriftinspiration, Salzburg 1897, 33 sqq.

(2) Un ouvrage restitué à Julien d'Eclanum, Revue bénéd. XXX (1913) 1-24; *A. d'Alès,* Julien d'Eclane, exégète, Recherches de science rel. VI-VII (1916) 311-324.

(3) Extraits du Commentaire de Diodore de Tarse sur les Psaumes, Recherches etc. X (1919) 74-101.

Si hoc sensu sumitur allegoria, distinguitur ab allegoria, prout Alexandrini eam admittebant; significat nempe sensum typicum qui semper supponit sensum litteralem. Sed in genere Antiocheni hoc nomen vitabant vocantes expositionem typicam θεωρίαν et θεωρεῖν, Dum Alexandrinis idem est θεωρία et ἀλληγορία, Antiocheni utramque distinguunt: ἀλληγορίαν frequenter vocant arbitrariam interpretationem quae negligit litteram, θεωρίαν vero sensum historicum altiorem et graviorem, altiorem spiritualem intelligentiam, imprimis sensum typicum (2). *Diodorus Tarsensis* scripsit contra Allegoristas opus cui titulus erat: Τίς διαφορὰ θεωρίας καί ἀλληγορίας. Paucis idem exposuit in supra laudata praefatione in Ps. 118: καί τὴν θεωρίαν τὴν ὑψηλοτέραν οὐκ ἀποκωλύσομεν. Οὐδὲ γὰρ ἐναντιοῦσθαι ἡ ἱστορία τῇ ὑψηλοτέρᾳ θεωρίᾳ, τουναντίον δὲ κρηπὶς εὑρίσκεται καὶ ὑποβάθρα τῶν ὑψηλοτέρων νοημάτων. Ἐκεῖνο δὲ μόνον φυλάττεσθαι, μή ποτε ἀνατροπὴ τοῦ ὑποκειμένου ἡ θεωρία ὄρθῃ, ὅπερ οὐκ ἔτι ἂν εἴη θεωρία, ἀλλὰ ἀλληγορία. Τὸ γὰρ ἄλλως ἀγορευόμενον παρὰ τὸ κείμενον οὐ θεωρία ἐστιν ἀλλὰ ἀλληγορία: contemplationem altiorem non impediemus. Neque enim historia (sensus litteralis) altiori contemplationi adversatur, sed e contrario fundamentum et fulcrum est altiorum sensuum. Illud tantum cavendum, ne θεωρία sit eversio historiae quae subest, quod non esset θεωρία, sed ἀλληγορία, Si enim aliud dicitur quam quod verbis subest, non est θεωρία sed ἀλληγορία.

Antiocheni ergo θεωρίαν opponebant allegoriae; sic e. g. *Severianus Gabalensis* de creat. mundi 4, 2 (PG. 56, 459), ubi avibus ex aquis generatis confert fideles regeneratos ex aquis baptismatis, addit: ταῦτα οὐκ ἀλληγοροῦντες εἰσηγάγομεν, ἀλλ' ἐθεωρήσαμεν τῇ ἱστορίᾳ. Ἄλλο τὸ ἐκβιάσασθαι εἰς ἀλληγορίαν τὴν ἱστορίαν, ἄλλο δὲ καὶ τὴν

(2) Cfr. *A. Vaccari* S. I., La θεωρία nella scuola esegetica di Antiochia, Biblica I (1920) 3-36; vide etiam **H. Bate*, Some technical terms of Greek exegesis, Journal of theol. Studies XXIV (1922-24) 59-66.

ἱστορίαν φυλάξαι καὶ θεωρίαν ἐπινοῆσαι: haec non per allegoriam induximus, sed in historia conspeximus. Aliud est enim in allegoriam detorquere historiam, aliud vero historia servata altiorem contemplationem superstruere. *Allegoria* ergo iuxta mentem Antiochenorum *excludit sensum litteralem* sive historiam, *theoria* vero *necessario eam includit* et supponit.

Imprimis considerandus et exponendus est sensus litteralis, grammaticus sive historicus. Omnia quae iuxta regulas interpretationis grammaticalis de Christo et mysteriis redemptionis exponi possunt, ad haec referenda sunt. Quidquid vero iuxta hanc interpretandi rationem de personis et rebus V. T. enuntiatur, nequit ad Christum eiusque regnum referri, nisi hoc suadeat Novum Testamentum.

Plures loci *duplicem* admittunt sensum, *litteralem et spiritualem;* cfr. *Chrysost.* in Ps. 46 n. 1 (PG. 55, 209): τὰ καὶ κατὰ διπλῆν ἐκδοχήν (ἐκληπτέον), τά τε αἰσθητὰ νοοῦντες καὶ τὰ ποιητὰ ἐκδεχόμενοι, e. g. sacrificium Abrahae. Sensus altior non est sensus litteralis Scripturae, sed sensum litteralem pro fundamento habet, hinc semper interpretatio litteralis praemittenda est spirituali intelligentiae. Primum verba ut sonant sumenda sunt (τὸ κείμενον), deinde mysterium in ipsis contentum (τὸ ἐξ αὐτοῦ δηλούμενον) evolvitur; in hoc casu exegeta supergreditur sensum litteralem (ἱστορίας ἀνώτερος γενόμενος) et penetrat ad spiritualem intelligentiam quae tamen litteralem sensum non evertit (οὐ λυμαινόμενος τὴν ἱστορίαν). Vide etiam hom. 6. de poenit. n. 4 (PG. 49, 320). Neque ubique in Vetere Testamento typi admittendi sunt, cfr. *Isidor. Pelus.* II ep. 195 (PG. 78, 641): Οἱ πᾶσαν τὴν παλαιὰν διαθὴκην εἰς τὸν Χριστὸν μεταφέρειν πειρώμενοι οὐκ ἔξω αἰτιάσεώς εἰσιν. ἐπείπερ καὶ Ἕλλησι καί τοῖς μὴ ἐγκρίνουσιν αὐτὴν αἱρετικοῖς ἰσχύειν ἐν τῇ καθ' ἡμῶν διδόασι μάχῃ: qui universum Vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione non carent. Siquidem et Graecis et haereticis qui illud repudiant in sua adversum nos pugna robur suppeditant.

Ipsa *Scriptura* nos docet, ubi allegoriae sint, cfr. *Chrysost.* In Is. cap. 5 n. 3 (PG. 56, 60) : Καὶ πανταχοῦ τῆς Γραφῆς οὗτος ἡ νόμος, ἐπειδὰν ἀλληγορῇ, λέγειν καὶ τῆς ἀλληγορίας τὴν ἑρμηνείαν, ὥστε μὴ ἁπλῶς μηδὲ ὡς ἔτυχε τὴν ἀκόλαστον ἐπιθυμίαν τῶν ἀλληγορεῖν βουλομένων πλανᾶσθαι καὶ πανταχοῦ φέρεσθαι: Et ubique in Scriptura haec lex servatur, ut cum allegorice loquitur, allegoriae interpretationem afferat, ne eorum qui allegorias amant cupidus animus temere et fortuito erret et quocumque feratur. Quare, si sacrae Scripturae minime indicant adesse sensum diversum ab illo qui verbis exprimitur, retinendus est sensus litteralis ; hinc idem S. Pater vituperat *Origenem* (quin eum nominet), e. g. in cap. II Gen. hom 13 n. 4 (PG. 53, 110) : « Illi qui propria sapientia loqui volunt, flumina illa (scil. paradisi) non concedunt esse flumina neque aquas fatentur esse aquas, sed aliud imaginari suadent iis qui sibi aures accommodare volunt. At nos, obsecro, huiusmodi homines ne feramus, sed obstruamus eorum dictis aures, credamus divinae Scripturae atque ea quae in illa dicuntur sectantes, sanam doctrinam in auribus nostris reponere satagamus ».

Eusebius Emesenus († c. 359) iuxta *Hieronymum* (de vir. ill. 91, PL. 23, 734) conscripsit 10 libros in ep. ad Gal. et breves homilias in Evangelia. Fragmenta quae edidit *Augusti* (1) admodum dubia sunt ; e quatuordecim homiliis latinis quas *Sirmond* a. 1643 typis mandavit sub nomine Eusebii Caesareensis, duae priores Eusebio Emeseno attribuuntur (2). *P. Uspensky* et *V. Benesevic* evulgarunt excerpta e catenis, inter ea fragmenta Eusebii in *Genesim* (3).

(1) Eusebii Emeseni opuscula, Elberfeld 1829 (cfr. PG 86, 535-562).

(2) Vide *Bardenhewer,* Geschichte III², 263 ; *Batiffol,* Lit. grecque 285 sq.

(3) Catalogue des manuscrits grecs du monastère de S. Catherine au Sinaï, S. Petersbourg 1911 ; cfr. Revue bibl. N. S. IX (1912) 299 sq.

S. Eustathius († c. 337) contra allegorismum Origenis scripsit librum de engastrimytho (περὶ τῆς ἐγγαστριμύθου) quem edidit * *A. Jahn* (1); de Origene hoc fert iudicium : ἅπαντα ἀλληγορῶν ἀναιρεῖ τὰς τῶν πραγμάτων ὑποθέσεις.

Theodorus Heracleensis († c. 355) commentarios exaravit in Evangelia; cf. *Hieronym.* (de vir. ill. 90. PL. 23, 731; comm. in Mt. praef., PL. 26, 20), saltem in Matthaeum (2) et in Ioannem, probabiliter etiam in Isaiam (3); praeterea in Psalmos (*Hieron. vir.* ill. 90, ep. 112 n. 10, PL. 22, 929); insuper plures epistolas S. Pauli explanavit (4); *S. Hieronymus* ep. 119 n. 2 et n. 8 (PL. 22, 967, 974) citat Theodorum ad I Cor. 15, 51, ad I Thess. 4, 17-19 et in praef. ad Gal.

Maiorem splendorem schola Antiochena acquisivit per *Diodorum Tarsensem* († c. 391-392) qui ibi docebat una cum presbytero *Evagrio*, amico S. Hieronymi; inter discipulos eius celebriores sunt *Theodorus Mopsuestenus* et *S. Ioannes Chrysostomus* qui eum viventem martyrem appellat. Ipse omnes fere Veteris ac Novi Testamenti libros commentatus est. *Socrates* (hist. eccl. VI, 3, PG. 67, 668) de ipso tradit : ψιλῷ τῷ γράμματι τῶν θειῶν προσέχων γραφῶν τὰς θεωρίας αὐτῶν ἐκτρεπόμενος: soli litterae divinarum Scripturarum intendens altiorem vero contemplationem earum evitavit; cui consonat *Sozomenus* (hist. eccl. VIII, 2, PG. 67, 1517) : περὶ τὸ ῥητὸν τῶν ἱερῶν λόγων τὰς ἐξηγήσεις ποιήσασθαι, τὰς θεωρίας ἀποφεύγοντα. Haec verba cum grano salis sumenda sunt : historici illi intelligunt θεωρίαν in sensu Alexandrinorum de in-

(1) Texte u. Unters. II, 4. Leipzig 1886; cfr. et PG 18, 913-674; **E. Klostermann*, Origenes, Eustathius v. Antiochien u. Gregor v. Nyssa über die Hexe von Endor (Kleine Texte n. 83), Bonn 1912.

(2) Cfr. **C. H. Turner*, Journal of theol. Studies XII (1910-11) 107-110.

(3) Cfr. *M. Faulhaber*, Die Prophetenkatenen nach röm. Handschriften (Bibl. Studien IV, 2-3) Freiburg 1899, 61-63. Fragmenta collecta ab *A. Mai* vide PG 18, 1307-1378.

(4) Vide **Turner*, Dictionary of the Bible, Extra Volume 497 sq.

terpretatione allegorica, a qua certe Diodorus abstinuit; noluit tamen reiicere sensum typicum, sicut demonstrat praefatio in Ps. 118 superius citata: τὴν θεωρίαν τὴν ὑψηλοτέραν οὐκ ἀποκωλύσομεν.

Opera Diodori maximam partem perierunt; in catenis conservata sunt scholia in Gen. Exod. Deut. Iud. I Reg (PG. 33, 1561-1588), fragmenta in Psalmos (ib. 1587-1628 [1]). Nunc in lucem venit commentarius eius in *Psalmos* qui hactenus *Theodoro Mopsuesteno* attribuebatur [2]. *S. Hieronymus*, ep. 119, n. 3 et 8 (PL. 22, 968, 974) inter expositores I Cor. 15, 51 et I Thes.. 4, 15-17 recenset Diodorum [1].

Inter discipulos Diodori famam sibi acquisivit *Theodorus Mopsuestenus* († 424), vir subtili ingenio praeditus, sed in opiniones audaces ac temerarias nimis

[1] Cfr. etiam *I. Deconinck*, Essai sur la Chaîne de l'Octateuque avec une édition des commentaires de Diodore de Tarse qui s'y trouvent contenus, Paris 1912.

[2] *L. Mariès* demonstravit commentarium qui invenitur in cod. Coisliniano gr. 12 esse Theodori (cfr. **Lietzmann*, Der Psalmenkommentar Theodor's von Mopsuestia, Sitzungsberichte d. pr. Akademie der Wissensch. 1902, 338-346), eum vero qui continetur in cod. Coislin. 275 auctorem habere Diodorum Tarsensem; cfr. Le Commentaire sur les Psaumes de Diodore de Tarse, Compte-rendu des séances de l'Académie des Inscriptions et Belles Lettres 1910, 542-546; Aurions-nous le Commentaire sur les Psaumes de Diodore de Tarse?, Revue de Philologie XXXV (1911) 56-70; Les Commentaires de Diodore de Tarse et de Théodore de Mopsueste sur les Psaumes, Recherches de science rel. V (1914) 346-351; Extraits du Commentaire de Diodore de Tarse sur les Psaumes, ib. X (1919) 79-101; Le Commentaire de Diodore de Tarse sur les Psaumes. Examen sommaire et classement provisoire des éléments de la traduction manuscrite, Revue de l'Orient chrétien 3 S. IV (1924) 58-189. Ipsi assentiuntur *Bardenhewer*, Geschichte der altkirchl. Literatur III ², 307 sq.; *A. d'Alès*, Recherches V (1914) 238 sq.

[3] Cfr. **Turner*, Dictionary of the Bible, Extra Volume 505 sq. De Diodoro vide *Ermoni*, Diodore de Tarse et son rôle doctrinal, Muséon N. S. II (1901) 424-444; *Tixeront*, Précis de Patrologie ², Paris 1918, 257-259; *Pirot*, L'œuvre exégétique de Théodore de Mopsueste 28-34.

pronus. Hic traditur universam S. Scripturam exposuisse (*Leontius Byzantinus* de sectis IV, 3, PG. 86, 1221) unde apud Nestorianos vocatur exegeta per eminentiam. Negavit indolem canonicam plurium librorum V. T., scil. Iob, Par. Esdr. Neh. Esther; Cant. Canticorum asseruit esse carmen mere profanum, Ecclesiastae et Proverbiis minorem gradum inspirationis attribuit (1); unde in Concilio oecumenico V (553) damnatus fuit; ob hanc causam opera eius fere omnia interierunt. Conservatus est commentarius in *Dodecapropheton* (2), versio syriaca commentarii in *Ioannem* (3), versio latina expositionis minorum epistolarum S. Pauli (4), praeterea multa alia fragmenta, praecipue in Psalmos (5).

Plures auctores e. g. *Kihn* (6) putant Theodorum negasse vaticinia messianica V. T.; ea quae citantur in N. T. esse meras accommodationes; quodsi videtur admittere sensum typicum, hic non a Spiritu Sancto intentus est. Zach. 9, 8 referebat ad Zorobabel, etiam vaticinia Psalmorum dicebat esse adimpleta in Zorobabel et Ezechia (cfr. *Leont.* III c. 15, PG. 86, 1365). Sed rectius dicemus Theodorum admodum pauca admittere vaticinia *directe messianica,* i. e. quae secundum litteram et contextum immediate referuntur ad Christum; iuxta ipsum omnibus fere oraculis propheticis exprimuntur sortes populi Israel, etiam Mich. 5, 1 (Et tu Bethlehem etc.); difficultates quae ex hac interpretatione oriebantur, removebat adstruendo hyperbolas et

(1) Cfr. *Dennefeld,* Der alttestamentliche Kanon 44-61.

(2) Ed. *A. Mai,* Nova Patrum Bibliotheca VII, Romae 1854, 1, 1-389; cfr. PG 66, 123-662.

(3) Ed. *I. B. Chabot,* Paris 1897; cfr. etiam *P. Vosté,* Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur saint Jean d'après la version syriaque, Revue bibl. XXXII (1923) 522-551.

(4) *Pitra,* Spicilegium Solesmense I 1852, 49, 159; (sub nomine S. Hilarii). **H. B. Swete,* Theodori ep. Mopsuesteni in epistolas S. Pauli commentarii 2 voll. Cambridge 1880-1882.

(5) PG 66, 633-968; cfr. *Lietzmann,* p. 271 not. 2.

(6) Die Bedeutung der Antiochenischen Schule etc. 180.

metaphoras in sermonibus prophetarum (1). Commentario in *Ionam prophetam* praemisit tractatum de typis, qui perfecte catholicus est (PG. 66, 317-328) (2) : « Propterea etiam Dei providentia circa populum multa fuit, quoniam omnes promissionum dictarum memores Christi Domini praestolabantur adventum. Atque haec causa fuit, cur plurima in Vetere Testamento secundum eiusmodi administraverit rationem, ita ut gesta illa tum eius temporis hominibus maximam praeberent utilitatem, tum etiam significationem haberent gerendarum postea rerum, praeterquam quod excellentia simul quam plurima Novi prae Vetere Testamento apparitura erat. Compertum est igitur hoc modo vetera esse typum quendam posteriorum, non sine aliqua eorum imitatione etc. ». Sensus typicus a Theodoro vocatur ἀλήθεια, ἡ τῶν πραγμάτων ἀλήθεια, ἡ τῶν εἰρημένων ἀλήθεια, πραγμάτων ἡ δεῖξις etc. (3).

Polychronius (4) frater Theodori, episcopus Apameae († inter 428-431), commentarios scripsit in plures V. T. libros, de quibus fragmenta tantum in catenis conservata ad nos pervenerunt, praecipue in Iob (5) (ipse retinet hunc librum esse divinitus inspiratum), in Ieremiam, Ezechielem, Danielem (6).

S. Ioannes Chrysostomus († 407), maximus inter-

(1) Cfr. *F. A. Specht*, Der exegetische Standpunkt des Theodor v. Mopsuestia u. Theodoret v. Cyrus in der Auslegung der messianischen Weissagungen, München 1871, 27 sqq.

(2) *Ch. Pesch*, De inspiratione S. Scripturae, Friburgi 1906, 567.

(3) *Pirot*, L'œuvre exégétique etc. 192-198.

(4) Vide *O. Bardenhewer*, Polychronius, Bruder Theodors v. Mopsuestia u. Bischof von Apamea, Freiburg 1879; Geschichte der altkirchl. Lit. III ², 322-324; *Dennefeld*, op. cit. 61-67.

(5) **Iunius*, Catena Patrum graecorum in Iob, London 1637, PG 93, 13-470.

(6) Fragm. in Dan. edidit *A. Mai*, Scriptorum Veterum nova collectio I, 2 Romae 1825, 105-160; in Ezech., Nova Patrum Bibliotheca VII, 2 Romae 1854, 92-147; cfr. etiam *Faulhaber*, Die Prophetenkatenen 122 sqq.

pres qui e schola Antiochena prodiit, plurimos Veteris ac Novi Testamenti libros exposuit, plerumque in forma homiliarum. Ipse sedula cura explicat singulas voces iuxta regulas grammaticales et logicas, clare proponit sensum considerato imprimis contextu orationis, interdum addit et interpretationem allegoricam, de qua tamen dicit in Is. cap. 1 n. 7 (PG. 56, 23): ἐγὼ δὲ οὔτε ταύτην ἀτιμάζω τὴν ἐξήγησιν, καὶ τὴν ἑτέραν ἀληθεστέραν εἶναί φημι: ego vero hanc explicationem non improbo, sed alteram (i. e. interpretationem litteralem) veriorem esse dico. In fine cuiusvis homiliae adiungit monita practica.

Inter opera exegetica S. Io. Chrysostomi laudantur imprimis 67 homiliae in *Genesim* (PG. 53 et 54), in 58 *Psalmos* (4-12, 43-49, 108-117, 119-150 ib. 55) (1), interpretatio in *Isaiam* (c. 1-8, 10, ib. 56, 11-94), magni aestimantur 90 homiliae in Mt. (ib. 57-58), 88 homiliae in *Ioannem* (ib. 59), 55 homiliae in *Actus ap.* (ib. 60), homiliae in *epistolas S. Pauli* (ib. 60-62), praecipue in *ep. ad Romanos*, de quibus *Isidorus Pelusiota* (ep. V, 32, PG. 78, 1348) scribit: « In commentario epistolae potissimum ad Romanos, sapientissimi Ioannis sapientia thesaurus quidam est. Sic enim existimo, si divinus Paulus attico uti sermone voluisset, quo sui exsisteret interpres, non aliter interpretaturum fuisse quam supra dictus vir venerandus praestitit » (2).

S. Isidorus Pelusiota († c. 440), discipulus S. Ioannis Chrysostomi, non reliquit commentarios proprie dic-

(1) Cfr. *Chr. Baur* O. S. B., Der ursprüngliche Umfang des Kommentars des hl. Joh. Chrys. zu den Psalmen, Χρυσοστομικά. Studi e ricerche intorno a S. Giovanni Crisostomo I, Roma 1908, 235-242.

(2) Cfr. *Bardenhewer*, Patrologie 297-314; Geschichte der altkirchl. Literatur III ² Freiburg 1923, 324-361; *Batiffol*, Lit. grecque 242-249; *Tixeront*, Histoire des dogmes II ⁵, Paris 1912, 13. *S. Haidacher*, Chrysostomus-Fragmente zum Buche Iob, Χρυσοστομικά I 217-225; Chrysostomus-Fragmente zu den kath. Briefen, Zeitschr. f. kath. Theol. XXVI (1902) 190-194. *Chr. Baur*, S. Jean Chrysostome et ses œuvres dans l'histoire littéraire, Louvain 1907.

tos, sed in epistolis suis (c. 2000 in quinque libris, PG. 78, 177-1696) plurimos S. Scripturae textus dilucidavit iuxta principia scholae Antiochenae et de quaestionibus exegeticis tractat, e. g. ep. IV, 117 (PG. 78, 1192) ad Valentinianum presbyterum (1).

Theodoretus Cyrensis († 458) qui sequitur vestigia S. Ioannis Chrysostomi et Theodori Mopsuesteni (PG. 80-82), optimis exegetis graecis adnumerandus est; commentarii eius luciditate et ubertate rerum eminent; ipse semper sollicitus est, ut media via incedat inter exaggeratum allegorismum et methodum contrariam quae exclusive litterae adhaeret; unde dicit praef. in Psalmos (PG. 80, 860 sq.): « Cum enim in varios incidissem commentarios, qui partim in allegoriam cum multa satietate abibant, partim vero prophetiam quibusdam historiis sic adaptabant, ut Iudaeis potius interpretatio suffragaretur quam fidei alumnis: solertis esse putavi id quod apud hos et illos immodicum est fugere; quaecumque quidem priscis historiis conveniebant, his haec accommodare etiam nunc; praedictiones autem de Domino Christo et de Ecclesia egentibus conflanda... non aliis quibusdam adscribere ». In commentario in *Canticum Cant.* (PG. 81, 27-214), quod iuxta ipsum est allegoria celebrans unionem Christum inter et Ecclesiam, impugnat Theodorum Mopsuestenum; firmiter tenet multa vaticinia V. T. in sensu litterali referri ad Christum. Maxima laude digna est *expositio epistolarum S. Pauli* (2).

S. Nilus († c. 430), discipulus S. Ioannis Chrysostomi, in epistolis asceticis (PG. 79) multos textus S. Scripturae commentatus est (3).

(1) Cfr. *L. Baber*, De arte hermeneutica S. Isidori Pelusiotae, Cracoviae 1878.

(2) Cfr. **Richter*, De Theodoreto epistolarum Paulinarum interprete, Lipsiae 1822.

(3) Cfr. *A. Mai*, Classicorum auctorum t. IX, 257-430; scholia in Cant. Cant.; vide et *Faulhaber*, Hohelied- Proverbien- u. Pro-

Severianus Gabalae episcopus († p. a. 408) (1), adversarius Chrysostomi, teste *Gennadio* (de vir. ill. 21) exaravit commentarium in ep. ad Gal. qui periit; variae homiliae graece, armeniace, coptice conservatae sunt, e. g. 6 homiliae εἰς κοσμοποίαν (PG. 56, 429-500 inter opp. S. Io. Chrys.); (2) exstant et fragmenta in ep. S. Pauli (Col. I-II Thess.) (3).

Adrianus monachus (saec. 5) qui dependet a Theodoro Mopsuesteno et Theodoreto, scripsit opus cui titulus εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς (PG. 98, 1273-1312), in quo exponit principia exegetica scholae Antiochenae (4).

Patres Cappadoces (5).

S. Basilius Magnus († 379), quamvis magistrum sequerentur Origenem et una cum *S. Gregorio Nazianzeno* ex operibus magni Alexandrini collegeret φιλοκαλία, nihilominus allegoricum interpretandi genus haud magni aestimat, immo allegorias somnia et fabulas aniles vocat. Reliquit 9 homilias in *Hexaemeron* (PG. 29, 3-208) in quibus splendida eloquentia et eleganti ser-

---

phetenkatenen Wien, 1902, 4 sq.; *A. Sovic*, De Nili monachi commentario in Canticum Canticorum reconstruendo, Biblica II (1921) 45 52.

(1) Vide *Bardenhewer*, Geschichte der altkirchl. Literatur III, 363 sq.

(2) Cfr. *I. Zellinger*, Die Genesishomilien des Bischofs Severian v. Gabala (Alttestamentl. Abhandlungen VII, 1) Münster 1916.

(3) Vide **Turner*, Dictionary of the Bible, Extra Volume 507 sq., P. *Charles*, Fragments exégétiques inédits de Sévérien de Gabala, Recherches de science rel. V (1919) 252-259; *I. Zellinger*, Studien zu Severian von Gabala (Münsterische Beiträge zur Theologie 8) Münster 1926.

(4) Cfr. **Fr. Gössling*, Adriani Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς, Berlin 1888. Iuxta Adrianum Allegoristae volunt per aerem volare, non in terra ambulare.

(5) Vide *H. Weiss*, Die grossen Kappadokier Basilius, Gregor v. Nazianz. u. Gregor v. Nyssa als Exegeten, Braunsberg 1872.

mone exponit exclusive sensum litteralem, cfr. hom. 9 n. 1 : « Quas Scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quandam naturam, et plantam et piscem secundum suam ipsorum sententiam interpretantur. Quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt, ut quidam rerum sese imaginationi per somnium obiicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium scopum accommodant. Ego vero cum fenum audio, fenum intelligo, et plantam et piscem et bestiam et pecus, omnia uti dicta sunt, sic accipio (πάντα ὡς εἴρηται, οὕτως ἐκδέχομαι) ». Plures etiam explanavit Psalmos (1, 7, 14, 28, 29, 32, 33, 44, 45, 48, 59, 61, 114, 115-15 homiliae (PG. 29, 209-494) in sensu potius morali (1). Controvertitur, an commentarius in Isaiam prophetam (ἑρμηνεία εἰς τὸν προφήτην Ἡσαΐαν c. 1-16, PG. 30, 117-668) Basilio attribuenda sit.

S. Gregorius Nyssenus († c. 395), frater S. Basilii, conscripsit 8 homilias in Ecclesiasten (1, 1-3, 12, PG. 44, 616-753), 15 homilias in Cant. Cant. (1, 1-6, 8, *ibi* 756-1120) quod celebrat unionem animae humanae cum Deo ; praeterea explicationem apologeticam in Hexaemeron (ib. 61-124), libellum de hominis opificio (περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου ib. 187-256), in quibus adhaeret litterae sacri textus ; sed in opere de *vita Moysis* (ib. 297-430) allegoricis interpretationibus plus aequo indulget. Exstant etiam 5 homiliae in orationem dominicam (ib. 1120-1193) et 8 homiliae de beatitudinibus (ib. 1193-1301) plenae elucidationibus practicis. In opere in psalmorum inscriptiones (εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν ψαλμῶν ib. 431-608) Gregorius ostendit quinque libros Psalmorum correspondere quinque gradibus perfectionis christianae.

S. Gregorius Nazianzenus († 389), quo Scripturas explanante *S. Hieronymus* (vir. ill. 117, PL. 23, 747)

(1) *I. B. Pitra*, Analecta Sacra et Classica I, Romae, Parisiis 1888, 76-103 edidit varia fragmenta in Psalmos.

se didicisse testatur, in una tantum oratione in Mt. 19, 1-17 et in aliquot carminibus (lib. I. carm. 12-28) textus S. Scripturae interpretatur.

Cappadoces medium fere locum tenent inter scholam Alexandrinam et Antiochenam. Ad hanc alteram magis accedunt scholae *Nisibena* (1) et *Edessena* quae saeculo in Syria orientali floruerunt.

S. Iacobus Aphraates († p. a. 345) 23 reliquit homilias in quibus locos biblicos explicat. Scripta eius edidit *I. Parisot*, Aphraatis Sapientis Persae demonstrationes apud *Graffin*, Patrologia Syriaca I, 1-2, Parisiis 1894-1897.

S. Ephraem († c. 373), diaconus ecclesiae Edessenae, qui primum docebat Nisibi, postea vero cum haec urbs a. 363 a Persis esset occupata, in civitate Edessena. Ob vitae sanctitatem et miram eruditionem vocatur columna Ecclesiae, Spiritus Sancti cythara, propheta Syrorum (2). *S. Hieronymus* (de vir. ill. 115, PL. 23, 446), laudat in ipso acumen sublimis ingenii. Multa scripsit syro sermone, imprimis sacras Scripturas commentatus est, sed pars tantum (Gen., Exod.) in textu originali ad nos pervenit (ed. *P. Benedictus S. I.* et *St. Assemani*, S. P. N. Ephraem Syri opera omnia quae exstant Syriace et Latine I, Romae 1737, 1-226); praeterea permulta fragmenta, quae praecipue in catena a monaco *Severo* Edesseno saeculo nono composita inveniuntur (edita ibidem 226-315). In versione armeniaca exstant exposito Diatesseron Tatiani et interpretatio epistolarum S. Pauli (3). S. Ephraem clare et lucide

(1) Cfr. *I. B. Chabot*, L'école de Nisibe, son histoire, ses statuts, Journal asiatique IX S. t. VIII (1896) 43-93; *A. Scher*, École de Nisibis. Son origine, ses règlements et ses hommes célèbres (arabice) Béyrut 1905.

(2) Vide Litteras encyclicas Benedicti XV: « Principi Apostolorum » de die 5 Octobris 1920 de Sancto Ephrem Syro monacho Edesseno Doctore Ecclesiae renuntiando.

(3) Ed. *Mechitaritae*, Venetiis 1836; versionem latinam comment. in Diatesseron ab *I. B. Aucher* adornatam *G. Mösinger* a.

evolvit sensum litteralem s. Scripturae; sic e. g. spiritum Dei qui ferebatur super aquas (Gen. 1, 2) intelligit ventum validum; pauca admittit vaticinia directe messianica, non negligit sensum typicum, in homiliis etiam explicationi allegoricae locum dat (1).

Opera *S. Iacobi Sarugensis* († c. 521) quae praecipue exegesim spectant, nondum omnia publici iuris facta sunt; homilias selectas edidit *Bedjan*, Paris 1905-1910. Iacobus colit interpretationem allegoricam et typicam (2).

In *Occidente S. Hippolytus* († 235) qui neque ingenio neque eruditione Origeni aequalis fuit, multos Veteris ac Novi Testamenti libros graeco sermone exposuit (cfr. *Hieronym.* de vir. ill. 61, PL. 23, 707); tituli operum eius insculpti sunt statuae repertae a. 1551 et positae in museo Lateranensi (3). De scriptis eius exegeticis ad nostram aetatem pervenerunt fragmenta, imprimis magna pars commentarii in Danielem (4), homiliae in Cant. 1, 1-3, 7, (cfr. *Euseb.* hist. eccl. VI, 22, PG.

1876 ibidem evulgavit, versio latina comment. in epistolas S. Pauli prodiit 1893.

(1) Cfr. *Th. J. Lamy*, L'exégèse en Orient au quatrième siècle ou les commentaires de Saint-Ephrém, Revue bibl. II (1893) 5-25; 161-181; 465-489, **C. a Lengerke*, De Ephraemi Syri arte hermeneutica, Regimonti Borussorum 1831. — Quoad editiones adde: **R. Harris*, Fragments of the commentary of Ephrem Syrus upon the Diatesseron, London 1895; *Lamy*, Revue bibl. VI (1897) 380-395, 535-546, VII (1898) 89-97 gallice vertit scholia in Zachariam prophetam (iuxta *Overbeck*, S. Ephraemi Syri opera selecta, Oxford 1865; 77-104). De S. Ephraem cfr. *R. Duval*, La littérature syriaque, 3, Paris 1907, 329-335; *Bardenhewer*, Geschichte d. altkirchl. Lit. IV 1-2 Freiburg 1924, 342-373.

(2) Cfr. *I. Zingerle*, Zeitschr. f. kath. Theol. XI (1887) 92-108.

(3) Cfr. *G. Morin*, La liste épigraphique des travaux de saint Hippolyte au Musée du Latran, Revue bénéd. XVI (1900) 246-251; vide Revue bibl. V (1896) 268.

(4) Cfr. *O. Bardenhewer*, Des heil. Hippolytus v. Rom Commentar zum Buche Daniel, Freiburg 1877; *K. Violard*, Etude sur le commentaire d'Hippolyte sur le livre de Daniel, Monthéliard 1903.

20, 576) slavice, armenice, syriace, georgice (1) Hippolytus magis sequitur sensum litteralem, unde praeludit scholae Antiochenae, sed neque interpretationem allegoricam parvipendet abundeque admittit sensum typicum, quin iustam mensuram excedat (2).

Interpretes Latini.

Tertullianus († c. 240) et *S. Cyprianus* († 258) non exararunt commentarios in S. Scripturam, sed in scriptis suis frequenter textus biblicos explicant. Tertullianus quidem in operibus adversus Iudaeos et contra Marcionem, S. Cyprianus vero in libris Testimoniorum adversus Iudaeos; uterque exposuit orationem dominicam.

Primus sacrarum Litterarum interpres apud Latinos est *S. Victorinus Petabionensis* († c. 303), cuius opera exegetica recenset *S. Hieronymus* (de vir. ill. 74, PL. 23, 722) qui dicit ea esse grandia sensibus, viliora compositione verborum. Solus commentarius in Apocalypsim interitum evasit; ex ipso apparet Victorinum interpretationi allegoricae adhaesisse (3). Duplex exstat recensio, prolixior (PL. 5, 281-344, Bibliotheca Casinensis V, 1 1894, 1-21) et brevior (eliminatis opinionibus chiliasticis, Bibliotheca SS. Patrum VI, Pariis 1575, 713-

(1) Cfr. **G. N. Bonwetsch*, Studien zu den Kommentaren Hippolyt's zum Buche Daniel u. zum Hohenliede, Leipzig 1897. De commentario in Mt. cuius meminit *S. Hieronymus* prol. in Mt. cfr. *Turner*, Journal of theol. Studies XII (1910-11), 100-102.

(2) De scriptis exegeticis Hippolyti cfr. *Bardenhewer*, Neue exegetische Schriften des hl. Hippolytus, Bibl. Zeitschr. III (1905) 1-16, et Geschichte der altkirchl. Lit. II 2 577-592.

(3) Cfr. **I. Haussleiter*, Die Kommentare des Victorinus, Tichonius u. Hieronymus zur Apokalypse, Zeitschr. f. kirchl. Wissenschaft u. kirchl. Leben VII (1886) 239-257; *A. Hudal*, Zum Apokalypsenkommentar Viktorins v. Pettau, Lit. Anzeiger XXIII (1909) 369-372.

730; Maxima Bibl. Vet. Patr. III Lugduni 1677, 414-421); recentissime textum edidit *I. Haussleiter* (1).

S. Hilarius Pictaviensis († c. 367) qui allegoricum interpretandi genus ex Oriente in Occidentem introduxit, praecipue in commentario in Matthaeum (353-355, PL. 9, 917-1078) quaerit typicam rationem (17-8), caelestem intelligentiam (20, 2) vel caelestem significantiam (5, 13), i. e. sensum mysticum; hinc *Cassiodorius* (de inst. div. litt. 18, PL. 70, 1134) de ipso dicit: « Altas divinarum Scripturarum abyssos reverenter adducens facit praestante Deo illuminata mente conspici quae prius parabolis velabantur obscuris ». Maioris pretii sunt tractatus super Psalmos (c. 365, PL. 9, 231-908), in quo opere imitatus Origenem nonnulla etiam de suo addidit (*S. Hieronym.* vir. ill. 100, PL. 23, 738) (2). Tractatus in Iob, cuius meminit idem S. Hieronymus (ib. et ep. 61, n. 2) periit. In operibus dogmaticis, maxime in 12 libris de Trinitate (PL. 10, 25-472) potius sensui litterali inhaeret.

S. Ambrosius († 397) presse sequitur Patres graecos, imprimis *Origenem*, quem ter (de Abr. II, 8, 54, PL. 14, 503; in Psalm. 118, 4, 16, PL. 15, 1312; ep. 75, 1, PL. 16, 1312) disertis verbis allegat, et *S. Basilium;* hausit etiam ex *Philone* (3) quem citat de Paradiso 2, 11

(1) Victorini episcopi Petabionensis opera (Corpus Script. eccl. lat. 49) Vindobonae 1916; De editione principe cfr. *A. Vaccari*, Biblica III (1922) 340-342.

(2) Cfr. *A. Zingerle*, Studien zu Hilarius v. Poitiers Psalmencommentar, Sitzungsberichte der k. Akademie der Wissensch. VIII. Wien 1884, 869 sqq. qui et textum edidit in Corpore Script. eccl. lat. 22, Vindebonae 1891. Cfr. etiam *H. Jeanotte*, Le texte du psautier de S. Hilaire de Poitiers, Revue bibl. N. S. VIII (1911) 61-89.

(3) Cfr. *I. Kellner*, Der hl. Ambrosius als Erklärer des A. T. Regensburg 1893; *P. de Labriolle*, Saint Ambroise. Paris 1908, 163-208; *idem*, Saint Ambroise et l'exégèse allégorique, Annales de Philosophie chrét. 4. S. V (1908) 591-603; **R. H. Malden*, St. Ambrose as an interpreter of holy Scripture, Journal of theol. Studies XVI (1914-15) 509-522; *W. Wilbrand*, Ambrosius u. der Kommentar des

(PL. 14, 205). In divinis Scripturis distinguit litteram, cui enodandae haud multum insudat, et sensum altiorem quem fuse evolvit, e. g. in *expositione Evangelii secundum Lucam* ll. 10. (PL. 15, 1527-1850) (1), vel etiam triplicem admittit sensum : naturalem (historicum), mysticum et moralem : « in mysticis fructus est, in moralibus folium » (in Ps. 1, n. 41, PL. 14, 987). Inter pulcherrimas elucubrationes S. Doctoris ponenda est *expositio in Ps. 118* (PL. 15, 1197-1526), in qua uberrimum thesaurum doctrinae moralis tradit ; idem dicendum est de *enarrationibus in 12 Psalmos Davidis* (1, 35-40, 43, 45, 47, 48, 61, PL. 14, 921-1180). Mentione digni sunt 6 libri in *Hexaemeron* (ib. 14, 123-274) eleganti sermone conscripti, in quibus vestigiis Origenis et Basilii inhaeret. Alia praeterea exstant opera exegetica paraenetica, e. g. de *Abraham* (ib. 14, 419-500), de *Isaac et anima* (ib. 501-534 : utitur comment. Hippolyti in Cant.) ; de *paradiso* (275-314), de *Cain et Abel* (315-360), de *Noe et arca* (361-416), de *Iacob et vita beata* (597-638), de *Ioseph Patriarcha* (641-672) etc. Sicut Origenes ita et S. Ambrosius interdum iustos limites in interpretatione allegorica transgressus est (2).

Inter opera S. Ambrosii fertur et commentarius in 13 epistolas S. Pauli (PL. 17, 45-508, Spicilegium Casinense III, 2), unus e melioribus commentariis tempore Patrum conscriptis. Certum esse videtur illum fuisse

---

Origenes zum Römerbriefe, Bibl. Zeitschr. VIII (1910) 26-32 ; Die Deutungen der bibl. Eigennamen beim hl. Ambrosius, ib. X (1912) 337-350. *Editiones : C. Schenkl*, S. Ambrosii opera (Corpus Script. eccl. lat. 32, 1-4) Vindobonae 1897-1902 ; *M. Petschenig*. Expositio Psalmi CXVIII (Corp. Script. eccl. lat. 62) Vindob. 1913 ; Explanatio Psalmorum duodecim (C. S. l. 64), ib. 1919.

(1) Vide *A. Engelbrecht*, Studien über den Lukaskommentar des Ambrosius, Sitzungsberichte d. k. Akademie der Wissenschaften in Wien CXLVI, Wien 1903.

(2) Cfr. **Siegfried*, Philo von Alexandria als Ausleger des A. T. 371-391.

exaratum inter a. 370-375, probabiliter Romae, sed quis sit auctor, disputatur (1). Plures putant eum esse Iudaeum conversum, nomine *Isaac* sive *Hilarium* (2), *G. Morin* qui eandem opinionem habuit (3), posterius asseruit hanc doctam et perspicuam expositionem fuisse scriptam a senatore *Decimio Hilariano Hilario* (4), sed iterum mentem suam mutavit dicens scriptorem esse *Evagrium Antiochenum* (5). Hoc opus communiter allegatur sub nomine *Ambrosiastri*.

S. Hieronymus († 420), doctor maximus in exponendis Sacris Scripturis, auditor Gregorii Nazianzeni (de vir. ill. 117) et Didymi Caeci (ep. 84 [al 65] ad Pammach. et Ocean n. 3, PL. 22, 745), acumine ingenii, vastitate eruditionis, cognitione linguarum orientalium omnes coaevos facile superabat; a prima iuventute usque ad decrepitam senectutem indefesso zelo studio sacrorum librorum se dabat, diu in terra sancta commoratus, variis susceptis itineribus geographiam et topographiam biblicam didicit, ex conversatione cum doctis Iudaeis multa accepit quae ad intelligentiam sacrae Scripturae conferrent, omnes denique auctores perlegit. Maximum sibi acquisivit meritum versione latina Veteris Testamenti.

Quod attinet methodum interpretationis, S. Hieronymus vult quasi inter saxa et scopulos, sic inter historiam et allegoriam orationis cursum flectere (in Nahum,

(1) Cfr. **C. H. Turner*, Ambrosiaster and Damasus, Journal of theol. Studies VII (1905-6) 281-289; *I. Wittig. W. Schwierholz, H. Zeuschner, O. Scholz*, Ambrosiasterstudien, Breslau 1909.

(2) **A. E. Burn*, The Ambrosiaster and Isaac the converted Jew, Expositor 1899, 368-375; **Th. Zahn*, Der Ambrosiaster u. der Proselyt Isaak, Theol. Literaturbl. 1899, 313-317.

(3) Revue d'histoire et de littérature rel. IV (1899) 97-121.

(4) Rev. bénéd. XX (1903) 113-132.

(5) Ib. XXXI (1914) 1-34; sed cfr. **A. Souter*, The Expositor 8. S. VII (1914) 224-232; ultimo *Morin* proposuit sententiam auctorem huius commentarii posse esse *Nummium Aemilianum Dextrum*; cfr. Revue bénéd. XL (1928) 251-255.

c. 2) et super historiae fundamentum spirituale aedificium exstruere (praef. l. 6. in Is.), magis tamen videtur aestimare sensum allegoricum, nam loquitur de vili intelligentia sec. litteram (in ep. ad Gal. 4, 8, 9, PL. 26, 402), de humilitate litterae (in Am. 8, 11, 12, PL. 25, 1136); interpretationem allegoricam praefert, si e sensu litterali aliquid inhonesti, ridiculi etc. sequi videtur (cfr. ep. 21, n. 12, PL. 22, 385). Neque tamen litteram despicit, cfr. litteras encyclicas Spiritus Paraclitus: « Neque enim quisquam ignorat, Hieronymum, si quando opus esset, consuevisse ad codicem primigenium adire, aliam interpretationem cum alia comparare, vim verborum excutere et, si qui incidisset error, causas erroris aperire, ut de ipsa lectione omnis tolleretur dubitatio » ([1]). In Mc. 9, 1-7 dicit: « Non historiam denegamus, sed spiritalem intelligentiam praeferimus ». Concedi tamen debet ipsum saltem initio plus aequo allegoricis interpretationibus indulsisse.

Unum ex primis operibus exegeticis Doctoris Stridonensis est *commentarius in Ecclesiasten* (scriptus c. a. 389, PL. 23, 1009-1116), in quo non neglecta littera fusius exponit sensum allegoricum et moralem, cfr. 2, 24: « Haec interim secundum litteram, ne videamur penitus simplicem praeterire sensum, et dum spirituales delicias sequimur, historiae contemnere paupertatem ». Magni momenti sunt *commentarii in prophetas maiores et minores* (PL. 24-25, Ierem. imperf.); scripsit praeterea *commentarios in Matthaeum* (ib. 26, 15-218), in *ep. ad Gal* (ib. 307-438), *Eph.* (439-554), *Tit.* (555-600), *Philem.* (599-618), in quibus ostendit subtilem intelligentiam, licet interdum in perquirendo sensu mystico excedat. In libro *hebraicarum quaestionum in Genesim* (PL. 23, 935-1010) discutit locos difficiles et obscuros veteris versionis latinae collato textu hebraico. Multas quaestiones biblicas sanctus Doctor tangit in

([1]) Enchiridion Biblicum 151 n. 498.

epistolis criticis et exegeticis. Vertit praeterea opera exegetica aliorum, e. g. 14 homilias Origenis in Ieremiam et totidem in Ezechielem (PL. 25, 583-786), librum *Eusebii* de situ et nominibus locorum hebraicorum (ib. 23, 859-928), de quo ipse dicit: « Transtulimus relinquentes ea quae digna memoria non videntur, et pleraque mutantes »; praeterea opus *Philonis* de interpretatione nominum hebraicorum (ib. 23, 731-858). Breviarium in Psalmos, Quaestiones hebraicae in lib. Reg. et Par. (1), Expositio interlinearis libri Iob, Commentarii in Evangelia et in epistolas S. Pauli, quae in editionibus operum S. Hieronymi inveniuntur, non habent sanctum Doctorem auctorem. *Commentariolos in Psalmos* quorum meminit in Apol. adv. Ruf. I, 19, in lucem traxit *G. Morin* (2).

(1) Cfr. *I. B. Hablitzel*, Die Pseudohieronymianischen Quaestiones Hebraicae, Historisches Jahrbuch XLI, 2 (1921) 268-273.

(2) S. Hieronymi presbyteri qui deperditi hactenus putabantur Commentarioli in psalmos. Anecdota Maredsolana III, 1, Maredsoli 1895; ib. III, 2, 319-370 inveniuntur *Tractatus in Marci Evangelium*. **P. de Lagarde*, edidit: Onomastica sacra. scil. lib. interpr. hebr. nominum et de situ et nominibus locorum hebraicorum lib. Gottingae 1870, 2. ed 1887; Quaestiones hebraicas in lib. Geneseos. Lipsiae 1868. S. Eusebii Hieronymi in Hieremiam prophetam libri sex. rec. *S. Reiter* (Corp. Script. eccl. lat. 59) Vindobonae 1913. De *S. Hieronymo*, cfr. *A. Röhricht*, Essai sur St. Jérôme exégète, Genève 1891; **G. Grützmacher*, Hieronymus, eine biographische Studie zur alten Kirchengeschichte 3 voll. Berlin 1901-1908; *I. Turmel*, S. Jérôme Paris 1906; *A. Vaccari* S. I., S. Girolamo, studi e schizzi, Roma 1921; *F. Cavallera*, Saint Jérôme. Sa Vie et son œuvre (Spicilegium Sacrum Lovaniense) 1-II Louvain-Paris 1922; de operibus eius exegeticis eorumque indole *L. Sanders* O. S. B., Etudes sur S. Jérôme Paris 1903; *U. Moricca*, San Girolamo II Milano 1923, 116-152; *Bardenhewer*, Geschichte der altkirchl. Lit. III^2 615-630; *L. Schade*, Inspirationslehre des S. Hieronymus (Bibl. Studien XV, 4-5) Freiburg 1910; *F. M. Abel*, Le commentaire de S. Jérôme sur Isaïe, Revue bibl. N. S. XIII (1916) 200-225; S. Jérôme et les prophéties messianiques ib. 423-440; XIV (1917) 247-269; *F. Wutz*, Onomastica sacra. Untersuchungen zum Liber interpretationis hebraicorum nominum des hl. Hieronymus (Texte u. Unters. 41) Leipzig 1914-15. *L. Murillo* S. J., S. Jerónimo el Doctor Maximus, Biblica I (1920) 431-456; *A. Vaccari* S. I., I fattori dell'esegesi geronimiana, ib. I (1920) 457-480.

Cum sanctus Hieronymus ab amicis ad scribendum coactus, gravibus et diuturnis morbis vexatus, haud raro nimia cum festinatione opera sua composuerit, mirum non est, quod in ipsis inveniantur obscuritates, vel parum accurate dicta. Frequenter tradit simpliciter diversas opiniones auctorum, omissis interdum nominibus, ita quidem ut difficile sit dictu quid ipse senserit.

S. Augustinus († 430) carebat pluribus subsidiis utilibus ad intelligentiam sacrarum Scripturarum, quibus S. Hieronymus praeditus erat, nimirum ignoravit linguam hebraicam, graecam mediocriter noverat (1), unde valor et meritum operum eius exegeticorum non consistit in expositione grammatica sensus litteralis, sed potius in elucidatione locorum dogmaticorum S. Scripturae. In scriptis theologicis magis considerat sensum litteralem, in concionibus praefert interpretationem allegoricam et mysticam.

S. Augustinus primum composuit opus de hermeneutica biblica, videlicet *de doctrina christiana libb. IV* (PL. 34, 15-122) contra *Tychonium* donatistam, qui c. a. 397 exaraverat librum, cui titulus erat: Septem regulae ad inquirendum et inveniendum sensum S. Scripturae (PL. 19) (2).

Librum *Geneseos* quater exponendum suscepit, primum c. a. 389 in opere: *De Genesi contra Manichaeos* libri duo (PL. 34, 173-220), potius in sensu allegorico (cfr. Retract. I, 18: « quoniam secundum allegoricam significationem Scripturae verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram expo-

(1) Cfr. **I. R. Smith*, Augustine as an exegete, Bibliotheca sacra LXI (1905) 318-344; *O. Rottmanner* O. S. B., Zur Sprachenkenntnis des hl. Augustinus, Theol. Quartalschr. LXXVI (1895) 269 sqq.; Geistesfrüchte aus der Klosterzelle, ed. *R. Iud*, München 1908, 61-66; *S. Salaville*, La connaissance du grec chez saint Augustin, Échos d'Orient (XXV) 1922 387-393.

(2) Edidit **F. C. Burkitt*, The Book of Rules of Tyconius, (Texts and Studies 3, 1) Oxford 1894.

nere »); deinde c. 393 in opere de *Genesi ad litteram* imperfectus liber (ib. 34, 219-246; *I. Zycha*, Corpus Script. eccl. lat. 28, 1 Vindobonae 1894, 459-503), in quo magis sequitur sensum litteralem; c. a. 400 in tribus ultimis libris *Confessionum* allegorice explicavit historiam creationis, demum c. a. 401 aggressus est magnum opus de *Genesi ad litt.* libb. XII (34, 245-426; *Zycha* ib. 3-456; usque ad Adam et expulsionem de paradiso), de quo ipse dicit Retract. II 24 (PL. 32, 640): « Plura quaesita quam inventa sunt et eorum quae inventa sunt pauciora firmata, cetera vero ita posita velut adhuc requirenda sint ». Provocans ad Eccli. 18, 1: « qui vivit in aeternum creavit omnia simul » docet Deum omnia simul creasse, non quidem mundum hunc pulcherrimo ordine et harmonia dispositum, sed, ut ita dicam, materiam mundi sive elementa, e quibus per virtutes et leges a Deo primordialiter inditas paulatim ortus est hic mundus cum omnibus viventibus, quorum germina organica (primariae omnium nascentium causales rationes, involucra primordialia) terrae insita erant. Dies creationis interpretatur de cognitione angelorum.

Scripsit praeterea Doctor Hipponensis *Quaestion. in Heptateuchum* libb. VII (PL. 34, 547-824), *Enarrationes in Psalmos* (PL. 36-37) [1]; homilias spirituali doctrina refertas, *De consensu Evangelistarum* libb. IV (ib. 34, 1041-1236, *F. Weihrich*, Corp. Scr. eccl. lat. 43, Vindobonae 1909) ad removendas apparentes contradictiones in Evangeliis, *de sermone Domini in monte libb. II* (34, 1229-1308), compendium doctrinae moralis christianae, *Tractatus CXXIV in Ioannem* (PL. 35, 1379-1976), in quibus subtilissime evolvit veritates dogmaticas, *tractatus X in ep. Ioannis* (ib. 35, 1977-2062), *expositionem ep. ad Galatas* (35, 2105-2148)) etc. [2].

[1] Vide *P. Capelle*, Le texte du Psautier latin en Afrique (Collectanea Biblica Latina 4) Roma 1913, 83-169.

[2] Cfr. **H. N. Clausen*, Aurelius Augustinus Hipponensis Sacrae Scripturae interpres, Hauniae 1827; *C. Douais*, St. Augustin et la

S. Petrus Chrysologus († c. 452) in 176 sermonibus (PL. 52, 183-666) plerosque textus evangelicos breviter sed nervose exponit; colit imprimis sensum allegoricum, quia historica relatio ad altiorem semper est intelligentiam sublimanda (serm. 36).

Aurelius Cassiodorius († c. 570) usus doctrina christiana *S. Augustini* et institutis regularibus divinae legis exaratis a *Iunilio Africano* concinnavit *Institutiones divinarum litterarum*, opus introductorium in studia sacrae theologiae, cuius medulla est cognitio sacrarum Litterarum. Scripsit praeterea *complexiones in Psalmos* secutus vestigia S. Augustini, complexiones in *epistolas*, *Actus ap.* et *Apocalypsim*, in quibus non singula verba, sed sensum plurium versuum simul accurate ad litteram explicat. Opera eius vide PL. 69-70.

S. Gregorius Magnus († 604) in exponendis sacris Scripturis persequitur finem practicum, unde neglecta hinc inde littera magis immoratur explicationi allegoricae. *Expositio in beatum Iob* seu *Moralium* libb. XXV (c. 580-590, PL. 75, 509-1162; 76, 1-782) potest vocari repertorium theologiae moralis. In Ecclesia semper magni aestimabantur *40 homiliae in Evangelia* (ib. 76, 1075-1314) quae magna sobrietate ac simplicitate sermo-

---

Bible, Revue bibl. II (1893) 62-81, 357-377; III (1894) 110-135; 410-432; *E. Portalié*, Dictionnaire de la Bible, I, 2300 sqq.; *E. Moirat*, Notion augustinienne de l'herméneutique, Clermont 1906; *L. Hugo*, Der geistige Sinn der hl. Schrift beim hl. Augustinus, Zeitschr. f. kathol. Theologie XXXII (1908) 657-672; *J. Rivière*, De l'accord des Evangélistes. Principes théologiques de S. Augustin. Revue du Clergé français LX (1909) 295-326; LXI (1910) 406-434. *Tixeront*, Histoire des dogmes, II[5], Paris 1912, 359 sq.; *H. Pope*, St. Augustine the student of holy Scripture, The catholic World XCIX (1919) 586-596; *H. Vogels*, St. Augustinus Schrift de consensu Evangelistarum (Bibl. Studien XIII, 5), Freiburg 1908; *A. Wikenhauser*, Die Psalmenerklärung des hl. Augustinus, Korrespondenzblatt LIX (1014) 131-140, 174-176, 224 sq., 271-275, 323-335; *W. Rüting*, Untersuchungen über Augustins Quaestiones und Locutiones in Heptateuchum (Forschungen zur christl. Literatur u. Dogmengeschichte XIII, 3-4), Paderborn 1916.

nis conscriptae optima continent monita practica. S. Gregorius statuit regulam (hom. 40 in Ev. n. 1, PL. 76, 1302) : « Prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur ». Neque tamen semper hanc sapientem interpretationis legem observat ; nam in 22 *homiliis in Ezechielem* (ib. 76, 787-1072) plus aequo allegoriae indulget.

Commentarius in I lib. Regum (PL. 79, 17-468) inter dubia ponitur. Cum S. Gregorius esset aegrotus, *Claudius* Abbas Classensis commentarium litteris mandandum curavit, qui post mortem abbatis Romam ad summum Pontificem missus est ; qui scripsit ad Ioannem Subdiaconum Ravennae (ep. XII, 24, PL. 77, 1234) : « Quae cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde *inutilius* fuisse permutatum » (ita legitur in editione Maurina et apud *Migne*) ; qua lectione admissa dicendum esset S. Gregorium hoc opus reprobasse. Sed optime notat A. *d'Alès* (1) potius legendum esse : valde *in utilius* fuisse permutatum ; iuxta hanc lectionem longe meliorem Summus Pontifex scriptum comprobavit.

De interpretatione S. Scripturae tempore medii aevi. De Catenis.

Inde a saeculo sexto paulatim minuebatur mira fecunditas ingeniorum. Qui illo tempore studis sacris vacabant, non fructus proprii laboris edebant, sed optima quaeque ex operibus Patrum colligere et dilucidare studebant. Hoc modo ortae sunt *catenae* (σειραί), expositiones continuae sacrorum librorum ex textibus SS. Patrum et antiquorum interpretum conflatae ; antiquitus vocabantur ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν (compendia interpretatio-

(1) Recherches de science rel. V (1916) 472 sq.

num), συναγωγὴ ἐξηγήσεων παρὰ διαφόρων πατέρων (collectio explicationum factarum a diversis Patribus), ἐξήγησις συλλογεῖσα (explicatio collecta) etc. (1).

Procopius Gazaeus († c. 528) primus omnium catenam in Octateuchum concinnavit (PG. 87, pars prior 21-1089); hausit ex Cyrillo Alex. Greg. Nyss. Basilio etc. (2) exstant etiam catena in Isaiam (ib. 87 pars altera, 1817-2718), scholia in IV libb. Regum et II libb. Par. (e Theodoreto, 87, p. p., 1079-1220), in Prov. et Cant. (ib. 1221-1544; ib. p. a. 1755-1780) (3).

Andreas Presbyter (saec. 7?) composuit catenam in Act. ap.; *Ioannes Dumgaris* (saec. 7?) in Isaiam; *Nice-*

(1) De hoc genere litterario agunt **G. Heinrici*, Catenen, Realencyklopädie f. prot. Theologie u. Kirche 3, III, Leipzig 1897, 754-767; *A. Ehrhard*, Katenen, apud *Krumbacher*, Geschichte der byzantinischen Litteratur 2, München 1897, 206-218; **H. Lietzmann*, Catenen, Mitteilungen über ihre Geschichte u. handschriftliche Ueberlieferung, Freiburg 1897; Catenarum Graecarum Catalog. composuerunt **Georgius Karo* et **H. Lietzmann*, Nachrichten der k. Gesellschaft d. Wissenschaften, Göttingen 1902; *M. Faulhaber*, Die Katenenhandschriften der spanischen Bibliotheken, Bibl. Zeitschr. I (1903) 151-159; 246-255; 351-371; Katenen u. Katenenforschung, Byzantin. Zeitschr. XVIII (1909) 383-395; Hohelied-Proverbien- u. Predigerkatenen, Wien 1902; *P. Batiffol*, Chaînes bibliques, Dictionnaire de la Bible, I, 482-487; *A. Buturas*, Symbolae ad hermeneuticas catenas graecas e codice Monacensi graeco, Theol. Quartalschr. XCI (1909) 248-277; 407-435; **O. Hoppmann*, Die Catene zu den Proverbien im Codex Vaticanus gr. 1802 analysiert, Leipzig 1912; *U. Bertini*, La catena greca in Giobbe. Biblica IV (1923) 129-142; *K. Staab*, Die griechischen Katenenkommentare zu den katholischen Briefen, ib. V (1924) 296-353; *Idem*, Die Pauluskatenen nach den handschriftlichen Quellen untersucht, Roma 1926; *R. Devresse*, Notes sur les chaînes grecques de Saint Jean, Revue bibl. XXXVII (1927) 192-215.

(2) Cfr. *E. Lindl*, Die Oktateuchkatene des Prokop v. Gaza u. die Septuagintaforschung, München 1902.

(3) Vide **E. Bratke*, Prokops Hohelied- u. Proverbienkatene, Studien u. Kritiken 1895, 361-372, cfr. Zeitschr. f. wissenschaftl. Theologie 1896, 303-312.

tas, episcopus Heracleae in Thracia (saec. 11) in Iob (1), in Mt. Luc. Io. (2). Multae catenae sunt anonymae.

Editiones: *Fr. Zephyrus,* Catena in Pentateuchum, item catena explicationum veterum SS. Patrum in omnia Veteris et Novi Testamenti cantica, ab *Ant. Carafa* ex graeco in latinum conversa, Pataviae 1564; Coloniae 1572; *P. Comitolus S. I.,* Catena in beatissimum Iob absolutissima, Venetiis 1587; *B. Corderius* S. I., Catena 65 Graecorum Patrum in Lucam, quae quattuor simul Evangelistarum introducit explicationem, Antuerpiae 1628; Catena Patrum Graecorum in S. Iohannem, ib. 1630; Expositio Patrum graecorum in Psalmos ib. 1643-1646; *P. Possinus* S. I., Symbolarum in Matthaeum tomus prior exhibens catenam Graecorum Patrum unius et viginti, Tolosae 1646; *Corderius,* Symbolarum in Matthaeum tomus alter quo continetur Catena Patrum Graecorum triginta, collectore Niceta episcopo Serrarum, ib. 1647; *Possinus*, Catena graecorum Patrum in Evangelium secundum Marcum, Romae 1673; *I. A. Cramer,* Catenae Graecorum Patrum in Novum Testamentum 8 voll. Oxonii 1840 sqq.

Interpretes graeci.

Olympiodorus, diaconus Alexandrinus (c. 505-516) exaravit commentarios in Ecclesiasten (PG. 93, 477-628) (3), Ieremiam, Baruch, Lament. (4), Iob, Prov., Esdr., Cant. (5).

(1) Edidit **P. Iunius*, London 1637.

(2) Cfr. *I. Sickenberger*, Aus römischen Handschriften über die Lukas-Katenen, Röm. Quartalschr. XII (1898) 55-84; Die Lukas-Katene des Niketas v. Herakleia (Texte u. Unters. VII, 4), Leipzig 1902; **r. Soden*, Die Schriften des Neuen Testamentes, I, Berlin 1902, 613-626.

(3) Cfr. *Faulhaber*, Hohelied- Proverbien- u. Prediger- Katenen 159 sqq.

(4) *Faulhaber*, Die Prophetenkatenen nach römischen Handschriften (Bibl. Studien IV, 2-3), Freiburg 1899, 166 sqq.

(5) Vide *K. Krumbacher*, Geschichte der Byzant. Literatur ².

Oecumenius, episcopus Triccae in Thessalia (c. 600) scripsit expositionem Apocalypseos (1); idem fecit *Andreas*, archiepiscopus Caesareae in Cappadocia (ante 637) (2).

Gregorius Agrigentinus (sub finem saec. 6 et initio saec. 7) explanavit Ecclesiasten (PG. 98, 741-1182); *Anastasius Sinaita* (c. 640-700) interpretatus est Hexaemeron (εἰς τὴν πνευματικὴν ἀναγωγὴν τῆς ἑξαημέρου κτίσεως) (PG. 99, 851-1078).

S. Ioannes Damascenus († c. 750) reliquit commentarios in S. Pauli epistolas (PG. 95, 441-1034); dependet a *Chrys., Theodoreto, Cyr. Alex.*

Photius († c. 891) vir ambitiosus, sed summae eruditionis, in opere: *Quaestiones et diatribae ad Amphilochium* (PG. 101, 1-1190, 1277-1296) agit de multis rebus biblicis; in magno opere « Bibliotheca » (PG. 103-104, 9-430) conservavit pretiosa excerpta ex operibus exegeticis, quae perierunt; scripsit praeterea commentarium in Lucam (3).

Theophylactus, archiepiscopus Achridensis in Bulgaria († 1107), commentatus est prophetas minores et omnes Novi Testamenti libros; in explanatione epistolarum

---

A. Ehrhard et *H. Gelser,* München 1897, 127; *Bardenhewer,* Patrologie 492; **E. Klostermann,* Texte u. Unters. XVI, 3, Leipzig 1897, 111.

(1) Cfr. *F. Diekamp,* Mitteilungen über den neuaufgefundenen Kommentar des Oekumenius zur Apokalypse, Sitzungsberichte der pr. Akademie d. Wissensch. Berlin 1901, 1046-1056. Exstant etiam expositiones Act. ap., epistolarum S. Pauli et epp. catholicarum, in quibus Oecumenius multa exhibet excerpta ex Chrys. et Theodoreto adiiciens proprias animadversiones, clare evolvit sensum litteralem et locos obscuriores elucidat; ed. *B. Donatus*, Veronae 1532; *F. Morel*, Parisiis 1631 (vide PG 118 et 119); cfr. **Turner*, Dictionary of the Bible, Extra Volume, 485 sq., 523 sq.

(2) Vide *Diekamp,* Historisches Jahrbuch, XVIII (1987) 1-36.

(3) Cfr. *J. Hergenröther,* Photios, Patriarch v. Konstantinopel, sein Leben, seine Schriften u. das griech. Schisma, 2 voll. Regensburg 1867-1869.

S. Pauli citat Clement. Alex., Methodium, Basilium, Cyrillum Alex., sed imprimis Io. Chrys. (1).

Euthymius Zigabenus († c. 1118) iuxta exemplum Chrysostomi interpretatus est Psalmos, quatuor Evangelia et epistolas Paulinas (2).

Apud *Syros Ischodad,* episcopus civitatis Hadathae (c. 850) scripsit commentarios in libros sacros; multa hausit et Theodoro Mopsuesteno (3).

Gregorius Abulfaragius, vulgo *Barhebraeus* († 1286) inter alia sub titulo: « Horreum mysteriorum » (4) composuit commentarios in Vetus et Novum Testamentum in forma scholiorum (5).

Interpretes latini.

S. Isidorus Hispalensis († 636), vir vastissimae eruditionis, inter opera (PL. 81-84) quaedam reliquit, quae de quaestionibus exegeticis agunt, videlicet librum de

(1) Cfr. **v. Soden,* Die Schriften des N. T., I, 626 637; *Krumbacher,* Geschichte der byzant. Literatur 134; * *Turner,* Dictionary of the Bible, Extra Volume 486. Opera eius impressa fuerunt Londini 1636, Venetiis 1755, (PG. 123-126).

(2) Cfr. *Soden,* op. cit. 624-626; *Turner,* l. c. 486. Commentarios in Evangelia evulgavit * *C. Fr. Matthäi,* Lipsiae 1791; comm. in ep. Pauli et cath. *Nicephorus Kalogeras,* Athenis 1887.

(3) **I. Schliebitz,* Išô'dâdh's Kommentar zum Buche Hiob (Beihefte zur Zeitschrift d. alttestl. Wissenschaft XI), Giessen 1907; **M. D. Gibson,* The commentaries of Isho'dad of Merv, bishop of Hadatha, in Syriac and English: Evangelia 3 voll. Cambridge 1911; The Epistles of Paul the Apostle, 1916. Cfr. etiam **G. Diettrich,* Išô'dâdh's Stellung in der Auslegungsgeschichte des A. T. an seinen Commentaren zu Hosea, Joel, Jona, Sacharja 9-14 u. einigen angehängten Psalmen veranschaulicht (Beihefte zur Zeitschr. d. alttestl. Wissenschaft VI), Giessen 1902.

(4) *Ed.* **Larsow,* Lipsiae 1858.

(5) Cfr. *Göttsberger,* Barhebräus u. seine Scholien zur hl. Schrift (Bibl. Studien V, 4-5), Freiburg 1900; **S. Pincus,* Die Scholien des Gregorius Abulfarag Barhebräus zum Buche Numeri, Breslau 1913; Die Scholien des Barhebräus zu Exodus, Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellschaft LXIX (1915) 225-270; LXX (1916) 97-125.

allegoriis, quaestiones in Vetus Test.; librum numerorum qui in sanctis Scripturis occurrunt (mystica numerorum explicatio), in libros Veteris ac Novi Testamenti prooemia etc.

S. Beda Venerabilis († 735) a prima infantia usque ad provectam senectutem in monasterio vivens studio indefesso sacris Litteris operam dedit, ut ipse de se dicere potuerit: « Aut discere aut docere aut scribere dulce habui ». Quadruplicem in S. Scriptura admittit sensum, litteralem, allegoricum, anagogicum, moralem; saepe praetermisso sensu litterali mysticam significationem evolvit. Multa collegit ex operibus Patrum, sed et de proprio ingenio permulta addidit. Expositiones eius ob simplicitatem, perspicaciam et vigorem nostris adhuc diebus exegetis atque concionatoribus admodum utiles sunt, imprimis commentarii in 4 Evangelia et Actus ap. Scripsit praeterea 4 libros in Genesim (Gen. 1-21), de tabernaculo (Exod. 24-30), expositionem allegoricam in Samuelem prophetam, quaestiones in libros Regum, interpretationem allegoricam Parabolarum Salomonis. Opera eius vide PL. 90-95.

Alcuinus (Albinus † 804), cui Carolus Magnus commisit emendationem Bibliorum latinorum, breves exaravit commentarios in Psalmos poenitentiales, in Ecclesiasten, Canticum, Evangel. S. Ioannis, ep. ad Tit. Phil. Hebr., in Apocalypsim (PL. 100); hausit ex Patribus: Ambros. Hieron. August. Gregor. Beda, sicut ipse dicit:

« Albinus Patrum gradiens per prata piorum
Carperet ut flores per pia rura sacros ».

Eius exemplum secutus est *Rabanus* (Hrabanus) *Maurus* († 856), dictus praeceptor Germaniae, qui omnes fere Veteris ac Novi Testamenti libros explicavit (Opera eius vide PL. 107-112); triplicem distinguit sensum, cum praedilectione colit exegesim allegorico-mysticam. *Rudolphus* discipulus eius de ipso tradit: « aut

alios sacris Litteris instruebat aut in legendo vel dictando divinam Scripturam semetipsum pascebat ». (*Monumenta Germ.* XV, 330; PL. 107, 43 (1).

De Exegesi Aetate Scholasticorum.

De hac aetate *Leo XIII* in litteris encyclicis « Providentissimus Deus » scripsit : « Nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum.* Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti ; cuiusque pondus in re theologica perpensum ; definitae librorum partes, argumenta partium ; investigata scriptorum proposita ; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio ; quibus ex rebus nemo unus non videt, quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria ; quo etiam nomine *Thomas Aquinas* inter eos habuit palmam » (2).

Auctores illius temporis in genere duplicem admittunt S. Scripturae sensum, litteralem, quem summa cura evolvunt, et typicum vel allegoricum, quem saeculo duodecimo bona cum laude plerique tractarunt. Praecursores aetatis scholasticae proprie dictae sunt *Rupertus Tuitiensis, Bruno Astensis, Hugo a S. Victore, Petrus Abaelardus, St. Bernardus.*

(1) Cfr. *W. Burger,* Hrabanus Maurus, der Begründer der theologischen Studien in Deutschland, Katholik 1902, II, 51-69; 122-135; *I. B. Hablitzel,* Hrabanus Maurus. Ein Beitrag zur Geschichte der mittelalterlichen Exegese (Bibl. Studien XI, 3), Freiburg 1906. Der Jeremias-Kommentar des Hrabanus Maurus, Studien u. Mitteilungen zur Geschichte des Benediktiner-Ordens N. F. IX (1920) 243-251.

(2) Enchiridion Biblicum 29 n. 81.

Rupertus Tuitiensis O. S. B. († 1135) imprimis excoluit exegesim theologicam; non semper stricte sequitur litteram, sed thesaurum absconditum aeternae sapientiae effodere studet, unde mysticam interpretationem amat delectaturque candore allegoriae, monet tamen: « Noli, quaeso, noli esse allegoricus nimis » (ep. ad Rom. Pontif., PL. 169, 9). Magna cum profunditate et claritate exponit ubertatem doctrinae sublimis in Litteris sacris contentae. In opere de *Trinitate et operibus eius* l. 42 (PL. 167, 197-1828) quod comprehendit Pentateuchum, Iosue, Iud. Reg. Psalm. et 4 Prophetas maiores, ostendit manifestationem SS. Trinitatis in populo electo; in expositione *Cantici Cant.* (PL. 168, 849-962) agit de incarnatione et laudibus celebrat privilegia Dei Genitricis Mariae. Scripsit praeterea commentarios in duodecim prophetas minores (ib. 168, 9-836), in Iob (ib. 963-1196), Ecclesiasten (1197-1306), in Matthaeum de gloria et honore filii hominis (ib. 1307-1634), in Evangelium S. Ioannis (ib. 169, 201-826) et in Apocalypsim (ib. 827-1214) (1).

S. Bruno Astensis sive *Signensis* († 1125) exposuit Pent. Iob, Prov. Cant. Psalm. 4 Evangelia et Apocalypsim (PL. 164-165).

Hugo a S. Victore († 1141) in *Eruditione didascalica* (PL. 176, 739-838) exhibet introductionem in studia sacra, libb. 4-6 agunt de sacra Scriptura, de qua Hugo etiam disserit in praenotatiunculis de Scriptura et Scriptoribus sacris (PL. 175, 9-28); docet triplicem esse sensum S. Scripturae, historicum, moralem, mysticum sive allegoricum; neque tamen in omnibus locis S. Script. hunc triplicem inveniri sensum atque explicationem allegoricam semper debere habere fundamentum in sensu litterali (mystica intelligentia nonnisi ex his quae primo loco littera proponit, colligitur). Scripsit

(1) Cfr. **R. Rocholl*, Rupert v. Deutz, Gütersloh 1886; *Odilo Wolff* O. S. B., Mein Meister Rupertus, Freiburg 1920.

adnotationes elucidatorias in Pent. Iud. et Reg. (PL. 175, 29-114), 19 homilias in Ecclesiasten (114-256), adnotationes in Threnos et Ioelem (256-372), expositionem moralem in Abdiam (372-414), quaestiones et decisiones in epistolas S. Pauli (431-634).

Petrus Abaelardus († 1142) reliquit expositionem Hexaemeron (PL. 178, 731-784) et ep. ad Romanos (784-634).

S. Bernardus, Abbas Claravallensis († 1153), cuius sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt, profunditate et vigore Rupertum superat; non composuit commentarios proprie dictos, sed frequenter textus biblicos in suis sermonibus explicat. Insignes sunt 87 sermones in Cant. Cant. (1, 1-3, 1, PL. 183, 785-1198) in quibus mira unctione celebrat unionem inter Deum et animam electam.

Scholastici, qui eximia sagacitate aedificium theologiae dogmaticae exstruxerunt, magno cum zelo expositioni sacrarum Litterarum operam navabant, nam cognitio sacrarum Scripturarum erat illo tempore fundamentum et culmen omnis sapientiae. Clare et perspicue nexum et progressum idearum indicant, singulas sententias accurate discutiunt et veritates dogmaticas sedulo evolvunt ope logicae Aristotelicae sobriae et severae. Licet ipsis deessent cognitiones philologicae et historicae quae ad plenam intelligentiam sacrarum Litterarum requiruntur, eorum commentarii perquam utiles sunt. Inter exegetas illius temporis eminent religiosi Ordinis Praedicatorum (1).

B. Albertus Magnus O. Pr. († 1280), doctor subtilis sive universalis, interpretatus est Psalmos, Lamentationes, Baruch, Danielem, 12 prophetas minores, Evangelia et Apocalypsim; explicat potissimum sensum litteralem, quamvis allegoriam non despiciat. Opera

(1) Cfr. *P. Saul* O. Pr., Das Bibelstudium im Predigerorden, Katholik, 1902, 289-312; 428-447.

eius exegetica vide in editione curata ab *Augusto Borguet* (Parisiis) vol. XV-XXIV (1892-1899) et XXXVIII (Apocal.).

S. Thomas Aquinas O. Pr. († 1274), doctor angelicus (1), erudite commentatus est librum Iob, Quinquagenam Psalmorum, Cant. Cant. (2), Isaiam, Ieremiam 1-42, Threnos, Ev. S. Ioannis, epistolas S. Pauli. Commentarii in epistolas Paulinas praestant ceteris; imprimis peculiari mentione digna est profunda expositio epistolae ad Romanos. Reliquit et continuam expositionem super 4 Evangelia, quae vocatur *Catena aurea* et saepe typis edita fuit, recentius Taurini apud Marietti 1914; cui operi multos inseruit textus spurios. Ab antiquis auctoribus attribuitur ipsi etiam *expositio super quatuor Evangelia ad litteram* (3); disputatur, an commentarius in Matthaeum qui inter opera S. Thomae editus est, sit pars huius operis (4). Editionem manualem commentariorum in N. T. curavit *Marietti*, Taurini 1912.

(1) Cfr. *G. Leccaro*, S. Tommaso esegeta, Scritti Vari nel VI Centenario della canonizzazione di S. Tommaso d'Aquino, Milano 1924, 118-133.

(2) Duo exstant commentarii in Canticum, qui S. Thomae attribuuntur, unus qui incipit: « *Salomon inspiratus* divino spiritu composuit hunc libellum de nuptiis Christi et Ecclesiae »; attamen in codicibus mss. eius auctor vocatur *Haymo*, (vide de hac quaestione *A. Vaccari*, L'editio princeps del commento di Aimone alla Cantica e la chiave di un problema letterario, Biblica V [1924] 183-191); alter incipit « *Sonet vox tua* »; hunc dicunt esse S. Thomae aegrotantis in monasterio Fossae novae (1274); hanc sententiam defendit *Fr. de Rubeis*, De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae, Venetiis 1750, diss. II, c. 2; recentiores hanc explicationem adscribunt *Aegidio Romano* O. S. Aug. († 1316); cfr. *W. Vrede*, Die beiden dem hl. Thomas v. Aquin zugeschriebenen Commentare zum Hohenliede, Münster 1913.

(3) Cfr. tamen *F. Pelster* S. I., Die Expositio super Quatuor Evangelia ad litteram des hl. Thomas v. Aquin, Biblica V (1924) 64-72.

(4) Cfr. *P. Mandonnet*, Des écrits authentiques de Saint Thomas d'Aquin, Fribourg 1910, 122 sq.; *M. Grabmann*, Die echten Schriften des hl. Thomas v. Aquin, Münster 1920; 55-79; *Fr. Pelster* S. I., Echtheitsfragen bei den exegetischen Schriften des hl. Thomas v.

S. Bonaventura O. Min. († 1274), doctor seraphicus, sequitur vestigia mysticorum (Ruperti Tuitiensis, S. Bernardi, Adami Scoti), hinc potius intendit explicationi sensus mystici ad fovendam pietatem. In *Breviloquio* tradit principia hermeneutica; praecipua eius opera exegetica sunt: Illuminationes Ecclesiae in Hexaemeron, Summa Expositionis in Psalmos, commentarii in Ecclesiasten, Sapientiam, Threnos, in Evangelium S. Lucae, Postillae in Evangelium Ioannis.

Opera doctoris seraphici edita fuerunt Romae 1588, Lugduni 1668, Venetiis 1751-1756. In editione critica quam curant Fratres Minores apud Claras Aquas (Quaracchi), opera exegetica doctoris seraphici inveniuntur in tom. V-VII (1891-1895).

Nicolaus de Gorham (Gorranus † c. 1295) O. Pr. totam fere s. Scripturam commentariis illustravit; *Io. Duns Scotus* O. Fr. Min. († c. 1308) reliquit commentarios in Gen. Evangelia et Epistolas.

Saeculo decimoquarto studia linguarum orientalium florere coeperunt, quarum cognitio quam maxime contulit ad intelligentiam sacrarum Scripturarum.

Nicolaus Lyranus O. Min. († 1340), doctor utilis, praeclare exposuit sensum litteralem sacrorum librorum, cum ex solo sensu litterali et non ex sensu mystico possit argumentum fieri ad probationem et declarationem alicuius dubii, in opere: « Postillae perpetuae sive praevia Commentaria in universa Biblia », in quo multa tradit desumpta ex auctoribus Iudaeis. Hoc opus magni aestimabatur, hinc in libro: Margarita philosophica (Argentorati 1506) fertur illud inter theologos proverbium: « Nisi Lyra lyrasset, nemo doctorum in Bibliam

---

Aquin, Biblica III (1922) 328-338; IV (1923) 300-311; *P. Synave* O. P., Les commentaires scripturaires de S. Thomas d'Aquin, Vie spirituelle 1923, 464-466; Le Commentaire de Saint Thomas sur les quatre Evangiles d'après le Catalogue Officiel, Mélanges Thomistes, Kaïn (Belgique) 1923, 109-122.

saltasset »; posterius dicebant : « Si Lyra non lyrasset, totus mundus delyrasset », vel, quia Lutherus Postillis usus est : « Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset » (1). Postillae typis excussae prodierunt Romae 1471 sq., Coloniae Agrippinae 1478, Antverpiae 1634.

Paulus Burgensis († 1435), Iudaeus conversus, scripsit Adnotationes sive Additiones ad Postillas, in quibus Lyranum uberius exponit, interdum corrigit.

Alphonsus Tostatus, episcopus Abulensis († 1454) propter multitudinem operum quae reliquit, appellatus « *stupor mundi* », prolixos conscripsit commentarios in libros historicos V. T. et in Ev. S. Matthaei, delectatur sensu mystico-allegorico. Opera eius in lucem venerunt Hispali 1491, Venetiis 1615, 1728.

Dionysius Carthusianus († 1471), doctor exstaticus, vir pietate et eruditione eximius, per 46 annos vitam absconditam et studiis deditam egit, opera SS. Patrum sedulo perlustravit, unde hausit illam profundam scientiam, quae in elegantibus et perspicuis explicationibus librorum utriusque Testamenti emicat. Hinc ortum est proverbium : « Qui Dionysium legit, nihil non legit ». Opera eius exegetica invenies in editione facta Monistrolii tom. I-XIV (1896-1901).

In monasteriis et domibus religiosis illius temporis studium sacrarum Litterarum, in quantum ad aedifi-

(1) Cfr. *H. Grisar* S. I., Luther, III, Freiburg 1912, 454; de Nicolao Lyrano vide elucubrationem : Nikolaus von Lyra und seine Stellung in der Geschichte der mittelalterlichen Schrifterklärung, Katholik 1859, II, 934 sqq.; cfr. *Neumann*, Influence de Raschi et d'autres commentateurs juifs sur les Postillae perpetuae de Nicolaus de Lyre, Revue des Etudes juives XXVI (1893), 172 sqq.; **F. Maschkowski*, Raschi's Einfluss auf Nikolaus v. Lyra in Auslegung des Exodus, Zeitschr. f. alttestl. Wissensch. XI (1891) 268-316; **A. I. Michalski*, Raschi's Einfluss auf Nik. v. Lyra in der Auslegung der Bücher Leviticus, Numeri u. Deuteronomium, ib. XXXV (1915) 218-275, XXXIX (1916) 29-63; in der Auslegung des Buches Josua, ib. XXXIX (1921) 300-307. Vide et *H. Labrosse*, Œuvres de Nicolas de Lyre, Etudes franciscaines XIX (1908) 41-52, 153-175, 368-376.

cationem animarum confert, colebatur. Lectione quotidiana religiosi in absconditum thesaurum sacrorum librorum penetrabant. Veluti subsidia ad eruendum sensum litteralem prae manibus habebant Etymologias *S. Isidori Hispalensis, S. Hieronymi* librum de nominibus hebraicis, quaestiones in Vet. Test. *S. Augustini* et eiusdem opus de doctrina christiana, pro exploratione sensus allegorici et moralis utebantur tractatibus et enarrationibus S. Augustini, libris Moralibus *S. Gregorii Magni*, sermonibus *S. Bernardi* etc. In coetu religiosorum fundato a *Gerardo Groote* († 1384), qui vocantur Fratres de vita communi, sacra Scriptura erat fundamentum studiorum sacrorum (1).

Saeculis 15 et 16 reflorescentibus studiis classicis cognitio linguae graecae quam maxime propagata est, quae cessit in utilitatem exegeseos biblicae, imprimis in expurgationem criticam textus sacri. Ars imprimendi libros medio saeculo 15. feliciter inventa multum contulit, ut exemplaria S. Scripturae ubique diffunderentur.

Thomas de Vio Cardinalis Caietanus O. Pr. († 1535) et hebraicae et graecae linguae ignarus Vetus Testamentum a Iudaeo, Novum a philologo christiano vertendum curavit; iuxta hanc versionem sacros libros exposuit exceptis Cant. Cant., libris deuterocanonicis, Apocalypsi et libris propheticis, quos morte superveniente explicare non potuit. Quia nimis facile recedit a recepta Patrum sententia, graviter reprehenditur a *Melchiore Cano* loc. theol. VII, c. 3, n. 11: « Nam et vetustae traditionis parum tenax et in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri ignoti mysteria ab his noluit discere qui non suo sensu illa sed maiorum traditione, vera scilicet verba Dei clare aperuerunt. Ita quum plurima scripsisset egregie, vertit ad extremum omnia, et novis quibusdam Scripturae expositionibus aliorum, quae vel gravissime dixerat, aut elevavit aut imminuit

(1) Cfr. *Grube*, Gerhard Groot u. seine Stiftungen, Köln 1883.

certe auctoritatem ». Commentarii Caietani editi fuere Romae 1524-1535, Venetiis 1530.

Desiderius Erasmus Roterodamus († 1536), vir in philologia classica versatissimus, unde vocabatur optimus maximus litterarum praeses, attamen in audaces opiniones nimis proclivis edidit Annotationes (1) et Paraphrases in Novum Testamentum, quae caute legentibus utiles esse possunt.

Santes Pagnini O. Pr. († 1541), graecae et hebraicae linguae admodum peritus, novam adornavit versionem utriusque Testamenti iuxta textus originales (Lugduni 1528), quae ob fidelitatem magnam sibi famam acquisivit. Saepius typis editus fuit eius Thesaurus linguae sanctae sive Lexicum Hebraicum (Lugduni 1529). In libro inscripto : Isagoge ad sacras Litteras (Lugd. 1528) tradit principia hermeneutica valde commendans sensum mysticum, dicit nempe sensum historicum esse quasi paleam, sensum vero mysticum esse triticum. Catena argentea in Pentateuchum evulgata fuit Antverpiae 1565.

Interpretes post concilium Tridentinum.

A concilio Tridentino nova incipit atque fecundissima periodus historiae exegeseos. Patres concilii qui veterem Vulgatam versionem latinam authenticam declararunt, statuerunt normas sanae interpretationis oppositas principiis exegeticis Protestantium, qui repudiata traditione S. Scripturam asserebant esse unicum fontem divinae revelationis. Cumque ipsi imprimis elucidandae litterae S. Scripturae incumberent, etiam interpretes catholici maiorem diligentiam litterali sensui adhibuerunt. Sicut aetate scholastica inter exposi-

(1) Cfr. *A. Bludau*, Die beiden ersten Erasmusausgaben des N. T. u. ihre Gegner (Bibl. Studien VII, 5), Freiburg 1902; *H. Höpfl*, Kardinal Wilhelm Sirlets Annotationes zum N. T. Eine Verteidigung der Vulgata gegen Valla u. Erasmus (Bibl. St. XIII, 2) 1908.

tores sacrarum Litterarum sodales S. Francisci et S. Dominici eminebant, ita post concilium Tridentinum Patres Societatis Iesu recens fundatae magna sibi compararunt merita in explicatione sacrarum Scripturarum. Una cum illis viri docti ex aliis ordinibus religiosis et ex clero saeculari exponendis divinis libris vires suas impenderunt. Impossibile est in hoc compendio omnium nomina ponere. Praecipuos tantum divini codicis interpretes afferemus:

Fr. Vatablus († 1547) qui linguam hebraicam in universitate Parisiensi tradebat, evulgavit Annotationes in Vetus Testamentum et in Actus Apostolorum (Parisiis 1545); editio expurgata Salmanticae 1584; scholia in Esther, Iob., Psalm. Sap. Eccli., vide *Migne,* Scripturae Sacrae Cursus Completus XIII-XVII passim, in Esdr. Neh. ibi XII, 15-162, 169-384; In Ierem. ibi XIX, 25-476.

A Sasbout O. Min. († 1553) commentatus est Isaiam (Lovanii 1556) et epistolas Paulinas (1556).

Hieronymus Oleaster O. Pr. († 1562) scripsit Commentaria in Moysi Pentateuchum (Antverpiae 1569, Lugduni 1586).

Andreas Masius († 1573) edidit commentarium valde eruditum in librum Iosue (Iosue imperatoris historia illustrata, Antverpiae 1574) qui relatus fuit in indicem librorum prohibitorum a Clemente VIII, donec corrigatur; vide *Migne,* VII, 861-1264; VIII, 9-458.

Cornelius Iansenius, episcopus Gandavensis († 1576) exaravit paraphrases et annotationes in Psalmos (Lovanii 1549, Lugduni 1586, *Migne,* XIV-XV), Proverbia (Lovanii 1569), Canticum, Ecclesiasticum (Antverpiae 1569; Lugduni 1586), Sap. (Antverp. 1589); magni valoris est Concordia in Evangelia (Lovanii 1549), cui adiecit commentarium in Concordiam ac totam historiam evangelicam (Lovanii 1571, 1577, 1617); comm. in Lucam vide apud *Migne,* XXII, 225-1446. Ab ipso distinguendus est *Cornelius Iansenius Yprensis* († 1638)

qui Pentateuchum (Lovanii 1639, 1641, 1644, Parisiis 1649, 1661) et quatuor Evangelia (Lovanii 1639, 1641, Parisiis 1643, 1649) commentatus est.

Franciscus Forerius (Foreiro) O. Pr. († 1581) egregiam condidit expositionem in Isaiam (Venetiis 1563, Antverpiae 1565, *Migne,* XXIII, 799-1644).

I. Maldonatus S. I. († 1583) scripsit commentarium in quatuor Evangelia, in quo eruditissime textus difficiles expendit (Mussiponte [Pont-à-Mousson], 1576-1597, Moguntiae 1840; comm. in Mt. apud *Migne,* XXI, 354-1312); praeterea explicavit prophetas Ier. Baruch, Ezech. (*Migne,* XIX, 645-1016), Dan. (ed. Lugdunii 1609), et exaravit annotationes in Eccle. Cant. Sap. Eccli, etc.

A. Salmeron S. I. († 1585), theologus concilii Tridentini, omnes fere Novi Testamenti libros illustravit dissertationibus quibus multas quaestiones dogmaticas inseruit. Opera eius edita fuere Matriti 1597-1602, Coloniae 1612-1614.

Fr. de Ribera S. I. († 1591) exposuit duodecim prophetas minores (Antverpiae 1571, cfr. *Migne* XX passim), Evangelium S. Ioannis (Lugduni 1623), ep. ad Hebraeos (Salmanticae 1598), Apocalypsim (Lugduni 1592); cum optime esset versatus in operibus Patrum, eorum explicationes sequitur.

Fr. Toletus S. I. († 1596), qui ultimam manum admovit emendationi Vulgatae latinae sub Clemente VIII, scite interpretatus est Ev. S. Ioannis (Romae 1588) et ep. ad Romanos (Romae 1602, Lugduni 1603).

Gilbertus Genebrardus O. S. B. († 1597), linguarum orientalium peritissimus, docte explanavit Psalmos Davidis (ed. Parisiis 1577, 1582, *Migne* XVI, 1153-1368, XV, 9-790); praeterea Canticum Canticorum et Ioel.

Emmanuel Sa S. I. († 1596) breves explicationes in sacros libros edidit (Antverpiae 1598), idem dicendum est de *Iacobo Tirino* S. I. († 1636) ed. Antverpiae 1632, et de *Stephano Menochio* S. I. († 1655) ed. Coloniae 1630. Vide et *Migne* XIII-XVII passim.

Hieronymus Pradus S. I. († 1595) et *I. B. Villalpandus* S. I. († 1608) amplum et solidum in Ezechielem scripsere commentarium (Romae 1596-1604).

Antonius Agellius O. Theat. († 1608) Lamentationes (Romae, 1598) Proverbia, Psalmos, Canticum (ib. 1606) et Habacuc explanavit.

Nicolaus Serarius S. I. († 1609) praeter epistolas catholicas omnes fere libros historicos V. T. interpretatus est (Moguntiae 1599-1612, Lugduni 1613), praeterea epistolas catholicas N. T.; comm. in Iudith vide ap. *Migne* XII, 803-1268.

Guilelmus Estius († 1613), professor universitatis Duacensis, utilissimos reliquit commentarios in epistolas Paulinas et catholicas (Duaci 1614, et saepe); annotationes in loca difficiliora S. Scripturae (ib. 1620).

Fr. Lucas Brugensis († 1619) praeter eruditas annotationes criticas in sacra Biblia (Antverpiae 1580) scripsit explanationem 4 Evangeliorum (ib. 1606-1616; comm. in Luc. apud *Migne* XXII, 229-1446).

R. Bellarminus S. I. († 1621) solidissime explanavit Psalmos (Romae 1611).

G. Sanctius S. I. († 1628) scripsit commentarios in lib. Reg. Par. Ruth, Esdrae, Neh. Tob. Iudith, Esther, Mach. in omnes Prophetas, in Iob. et Cant. Cant.

Ioannes Lorinus S. I. († 1634) illustravit Lev. Num. Deut. Psalm. librum Sapientiae, Actus ap. et ep. cath., opera eius typis excussa sunt Lugduni 1606-1624, Coloniae 1619-1624; Actus Lugd. 1605, 1609, Col. 1617.

Cornelius a Lapide (van den Steen) S. I. († 1637), qui summa cum diligentia fructus praecedentium laborum collegit ac praesertim e Patrum scriptis hausit, prolixos exaravit commentarios in universam S. Scripturam exceptis Psalmis et libro Iob. Praeter sensum litteralem etiam allegoricum sive mysticum quem potiorem vocat et moralem copiose exponit. Opera primum e praelo prodierunt Antverpiae 1614-1633, quam editionem multae aliae secutae sunt, e. g. Neapolitana 1857-

1860, Parisiensis 1868-1874; recentius *A. Padovani* commentarios in N. T. recognovit subiectisque notis illustravit et ad praesentem scientiae statum adduxit: in omnes S. Pauli epistolas 2 voll. Taurini 1908 et 1911, in 4 Evangelia 1914, 3. ed. 1922. Permulta invenies apud *Migne*.

Ioannes de Pineda S. I. († 1637) praeclaris commentariis illustravit librum Iob. (Matriti 1597-1601), Ecclesiasten et Canticum (Hispali 1602, 1609) cfr. *Migne* XIII-XV passim.

Iacobus Bonfrerius S. I. († 1641) praeter erudita Praeloquia in totam S. Scripturam (*Migne* I, 5-242) scripsit commentarios in Pentateuchum (Antverpiae 1625), Iosue, Iud. et Ruth (Parisiis 1631); comm. in Iud. et Ruth vide apud *Migne* VIII, 537-1114, 1154-1234.

Ferd. de Salazar S. I. († 1646) exposuit Proverbia (Parisiis 1621) et Ecclesiasten (Lugduni 1651) (1).

Ioannes Morinus († 1659) e congregatione Oratorii, qui partem habuit in editione Bibliorum Polyglottorum Parisiensium, edidit Pentateuchum Samaritanum et scripsit Exercitationes biblicas de hebraei graecique textus auctoritate lib. 2 (Parisiis 1633).

Ioannes de la Haye O. F. Min. (1661) praestantiores aliorum expositiones in unum collegit in *Bibliis magnis* et *maximis* (Parisiis 1643 et 1660 sqq.), praeterea commentatus est Genesim, Exodum (Paris 1636, 1641) et Apocalypsim (1641).

Iac. Ben. Bossuet († 1704) scholia scripsit in Psalmos (Lugd. 1691, Paris 1693) et libros sapientiales (Par. 1693; cfr. *Migne* XIV-XVII passim) et explicavit Apocalypsim (Paris 1869).

Bernardinus a Piconio (Pecquigny) O. Cap. († 1709) triplicem exaravit expositionem in Evangelia (Parisiis

(1) Mentione dignus est commentarius in hunc librum adornatus a *Franc. Sanchez* O. S. B. († 1604), hebraicae linguae valde periti; ed. Barcinonae 1619.

1704-1705, 1726, 1872) et in epistolas Paulinas (Parisiis 1703, 1823; Lugduni 1834; Oeniponte 1891 cura *P. Mich. Hetzenauer* O. Cap. ep. ad Rom.); quae propter perspicuitatem et solidam doctrinam admodum utilis est. Expos. in Ev. invenies apud *Migne* XXIV-XXV.

Aug. Calmet O. S. B († 1757) in Veteris Novique Testamenti libros: La S. Bible en latin et en français avec un commentaire littéral et critique (Paris 1707-1176), una cum prolegomenis et doctis praefationibus, quod opus *I. D. Mansi* in latinam transtulit linguam (Lucae 1730-1738, Augustae Vind. 1756, Wirceburgi 1789-1793). Calmetus soli sensui litterali explorando intentus est. Dissertationes praeviae in unum collectae typis excussae sunt Parisiis 1720 sub titulo: « Dissertations qui peuvent servir de prolégomènes de l'Ecriture sainte »; quae ob magnam utilitatem a *Mansi* latine versae sunt (Lucae 1729, Aug. Vind. 1732, Venetiis 1754); versionem anglicam evulgavit *Th. Taylor,* Dictionary of the Holy Bible, London 1837.

Saeculo decimonono floruerunt [1]: *P. Fur. Ackermann,* Can. reg. († 1831) qui Prophetas minores perpetua adnotatione illustravit (Viennae 1830); *I. B. Alber,* Cler. reg. schol. piar. († 1830) qui scripsit comm. in totam S. Script. (Pestini 1801-1804); *I. Th. Beelen* († 1884), comm. in ep. ad Phil. (Lovanii 1852, Rom. (1854), Actus ap. (1864, 1870 [2]); *A. Bisping* († 1884), Exegetisches Handbuch zum N. T. [3] (Münster 1873 sqq.); *M. Breitencicher* († 1883), Ninive u. Nahum (München 1861); *Cl. Clair* († 1881), Josué, Les Juges, Ruth, Les livres des rois, les Paralipomènes, Esdras, Néhémias (Paris 1878-1887: La Sainte Bible de Lethielleux); *I. Corluy* S. I. († 1896), Comm. in Evang. S. Iohannis (Gandavi 1878, 1880 [2]), Spicilegium dogmatico-biblicum (ib. 1884); *R. Cornely* S. I. († 1908), comm. in I ad Cor. (Parisiis 1890), in II ad Cor. (1892), ad Rom. (1896),

[1] Ordine alphabetico.

in lib. Sap. (ed. *Fr. Zorell* 1910); *A. Crampon* († 1894), Les quatre Evangiles (Paris 1864), Les Actes des Apôtres (1872), Nouveau Testament (1885); *H. I. Crelier* († 1889), Les Actes des Apôtres (Paris 1883), l'Exode et le Lévitique (1886), Genèse (1889: Bible Lethielleux); *P. Drach* († 1895), Epîtres de S. Paul (Paris 1871), Apocalypse (1873 Bible Lithielleux); *Cl. Fillion* († 1927), Les Evangiles (Paris 1878-1887), Synopsis Evangelica (1882), La sainte Bible commentée (1888-1904); Essais d'exégèse (1884); *G. Gietmann* S. I. († 1912), comm. in Eccle. et Cant. (Parisiis 1890); *Gillet*, Tobie, Judith, Esther (Paris 1879), Les Machabées (1880: Bible Lethielleux); *A. Gratz* († 1849) comm. in Mt. Tübingen 1821-1823); *J. Grimm* († 1896), Die Einheit des Lukas Ev. (Regensburg 1863); Die Einheit der vier Evangelien (1868), Das Leben Jesu nach den 4, Evangelien (1876-1887, 3. ed. 1906-1910 cur. *I. Zahn*, 1920 [4]); *C. Gutberlet* († 1928), Das Buch Tobias, Münster 1877; Das Buch der Weisheit ib. 1884; Das erste Buch der Makk., ib. 1920; Das 2 Buch d. Makk. 1927; *Bon. Haneberg* O. S. B. († 1876), Geschichte der bibl. Offenbarung, Regensburg 1850, 4. ed. cur. *B. Weinhart* 1876; *A. Henle*, Der Epheserbrief (Augsburg 1890, 1908 [2]); *G. Hoberg* († 1924), Die Psalmen nach der Vulgata, Freiburg 1892, 1906 [2]; Die Genesis nach dem Literalsinn 1899, 1908 [2]; *Fr. von Hummelauer* S. I. († 1914), Comm. in lib. Iudicum et Ruth (Pariis 1888), in libb. Samuelis (1886), in lib. Genesis (1894), in Exod. et Lev. (1897), in lib. Num. (1899), in Deut. (1901); in lib. Iosue (1901); *I. Jahn* († 1816), professor Vindobonensis, optime versatus in linguis orientalibus, sed opinionibus audacibus nimis deditus, praeter Introductionem in V. T., Hermeneuticam et Archaelogiam biblicam edidit Exercitationes exegeticas (Vindob. 1813-1815), in quibus exposuit vaticinia messianica V. T.; *Fr. Kaulen* († 1907), praeter Introductionem in S. Scripturam scripsit: Geschichte der Vulgata (Mainz 1868), Sprachliches Hand-

buch zur Vulgata (1870, 2. ed. Freiburg 1904). Die Sprachverwirung zu Babel (explicatio Gen. 11. 1-9, Mainz 1861); exposuit librum Ionae (Mainz 1862), Hexaemeron (Der bibl. Schöpfungsbericht, (Freiburg 1902); *I. Knabenbauer* S. I. († 1911), Comm. in Iob (Paris 1886), in Prophetas minores (1886, 2 ed. cur. *M. Hagen* 1924), in Isaiam (1889, 2. ed. cur. *Zorell* 1923), in Ierem. (1889), in Matthaeum (1892-1893, 1903 [2]; 3. ed. cur *A. Merk* 1922), in Marcum (1899, 1907 [2]), in Luc. (1896, 1905 [2]), in Ioannem (1898, 1906 [2]), in Actus (1899), in lib. Proverb. (1910), in Ecclesiasticum (1902), in lib. Machabaeorum (1907); opera posthuma in Psalmos (1912), in epp. ad Eph. Phil. et Col. (1912); *Th. I. Lamy* († 1907), Comm. in Gen. (Mechliniae 1883-1884); *E. Le Camus* († 1906), La vie de N. S. Jésus-Christ (Paris 1883, 1901 [6]), l'oeuvre des Apôtres (1891, 1905 [2]); *A. Le Hir* († 1868), Livre de Job. (Paris 1873), Les Psaumes (1876), Les trois grands prophètes Isaïe, Jérémie, Ezéchiel (1877); Le Cantique des cantiques (1883); opera edita cura *M. Grandvaux; H. Lesêtre* († 1914), Les Proverbes, La Sagesse (Paris 1879), L' Ecclésiastique (1880), Les livre des Psaumes (1883, Bible de Lethielleux); N. S. Jésus-Christ dans son saint Evangile (1892); *M. Mack* († 1885), Commentar über die Pastoralbriefe (Tübingen 1838, 1841 [2]); *Ad. Maier* († 1889), Comm. über das Ev. des Johannes (Freiburg 1843), über den Brief an die Römer (1847), über die Br. an die Korinther (1857, 1865), an die Hebräer (1861); *Fr. X. Massl* († 1852), Erklärung d. h. Schriften des N. T. (Regensburg 1841-1848); *G. K. Mayer* († 1868), Die Messianischen Prophezien (Wien 1860-1865); *R. Meignan* († 1896), Prophéties messianiques, Le Pentateuque (Paris 1856), Les livres des Rois (1878), David (1888), Salomon (1890), Les prophètes d' Israël (1892), Les derniers prophètes d' Israël (1894); *A. Messmer* († 1859), Erklärung des Johannes-Evangeliums (Innsbruck 1860), Erkl. des Briefes an d. Galater (Brixen 1862), des Colosserbriefes

(1863), des 1. Korintherbriefes (Innsbruck 1862); *A. L. Motais* († 1886), L' Ecclésiaste, (Paris 1876); *B. Netel-ler,* Die Bücher der Chronik (Münster 1899), Das Buch Isaias (1876); *I. P. A. Nickes* O. S. B. († 1866), De libro Iudithae (Wratislaviae 1854), de libro Estherae (Romae 1856-1858); *F. X. Patrizi* S. I. († 1881), De Evangeliis (Friburgi 1852-1853), De consensu utriusque libri Machabaeorum (Romae 1856), comm. in Ioannem (ib. 1857), in Marcum (1862), in Actus ap. (1867); *L. Reinke* († 1879), Beiträge zur Erklärung d. A. T. (Münster 1851-1866), Der Prophet Malachi (Giessen 1856), Die messianischen Psalmen (1857-1858), Die messian. Weissagungen bei den grossen u. kleinen Propheten (1859-1862), Der Prophet Micha (1874), Der Pr. Haggai (Münster 1868), D. Pr. Zephanja (1868); D. Pr. Habakuk (Brixen 1870); *F. X. Reithmayr* († 1872), Commentar zum Römerbrief (Regensburg 1845), an die Galater (München 1865); *A. Rohling,* Die Psalmen übersetzt u. erklärt (Münster 1871), Der Prophet Isaia (1872), Das Buch Daniel (Mainz 1876), Das Salomonische Spruchbuch (ib. 1879); B. *Schaefer* († 1926), Neue Untersuchungen über das Buch Koheleth (1870); *A. Schaefer* († 1914), Die Briefe Pauli an die Thess. u. Galater (Münster 1890), an die Korinther (1903); *P. Schanz* († 1905), Komm. über d. Ev. des hl. Matthäus (Freiburg 1879), über d. Ev. d. hl. Markus (1881), Lukas (Tübingen 1883), Johannes (1883-1885); *P. Schegg* († 1885), Die Psalmen erklärt [2], (München 1857), Isaias (ib. 1850), Die kleinen Propheten [2], (Regensburg 1862); Das hl. Ev. nach Matthäus, (München 1856); Marcus (1870); Lucas (1861-65). *A. Scholz* († 1908), Komm. über d. Buch Esther (Würzburg 1892), Tobias (1889), Judith (1887, 1898 [2]), Das Buch Judith eine Prophetie (1885), Komm. zu Jeremias (1880), Hoseas (1882), Job (1885); *Van Steenkiste* († 1913), Ev. sec. Matthaeum (Brugis 3. ed. 1880-1882, 1903 [4]), in Actus ap. (4. ed. 1886), in omnes Sancti Pauli epistolas (4. ed. 1886, 5. ed. cur. *A. Camerlynck* 1905), in epistolas

catholicas (5. ed. 1886), Liber Psalmorum (3. ed. 1886); *V. Thalhofer* († 1891), Erklärung der Psalmen (Regensburg 1880; 7. ed. cur. *P. Schmalzl* 1904, 8. ed. *F. Wutz* 1914), Die Opferlehre des Hebräerbriefes (Dillingen 1850), Das Opfer des A. u. N. Bundes mit bes. Rücksicht auf den Hebräerbrief (Regensburg 1870); *Fr. Sal. Tiefenthal* O. S. B. († 1917), Das hl. Evangelium nach Markus (Münster 1894), Das Hohe Lied (Kempten 1889), Daniel explicatus (Paderborn 1895), Comm. in Psalmos mere messianicos (Parisiis 1912); *Fr. Sal. Trenkle*, Der Jakobusbrief (Freiburg 1894); *C. Trochon* († 1888), Isaïe (Paris 1878), Jérémie (1878), Ezéchiel (1880), Daniel (1882), Les petits Prophètes (1883), Nombres et Deutéronome (1887: Bible de Lethielleux); *B. Welte* († 1885), Das Buch Job (Freiburg 1849); *M. Wolter O. S. B.* († 1890), Psallite Sapienter (Freiburg 1871-1890; 1904-1907 [3]); *H. Zschokke* († 1920), Historia sacra V. T. (Vindobonae 1880; 1910 [6]; 7. ed. cur. *I. Döller* 1920).

Interpretes huius saeculi.

A. Allgeier, Koheleth (Bonun 1925); *E. B. Allo* O. Pr., L'Apocalypse (Paris 1921, 1923 [2]); *O. Bardenhewer*, Römerbrief (Fbg 1926), Jakobusbrief (1928); *I. E. Belser* († 1916), Ev. Johannes (Freiburg 1905), Apostelgeschichte (Wien 1905), Briefe an Tim. u. Tit. (Fbg. 1907), Epheserbrief (ib. 1908), Briefe des hl. Johannes (1906), Jacobusbrief (1909), II Kor. (1910); *Th. Calmes*, L'Evangile selon S. Jean (P. 1904), Les Epîtres catholiques, L'Apocalypse (1905, 1907 [3]); *A. Camerlynck*, Comm. in Act. ap. (Brugis 1919, 1923 [2]); *F. Ceulemans*, Comm. in Mc. et Luc. (Mechliniae 1899), in Io. (1901), Act. ap. (1903), ep. ad Rom. (1901), ad Eph. Phil. Col. (1903), ep. cath. et Apoc. (1904); *M. I. Chaine*, L'épitre de s. Iacques (P. 1927); *C. I. Cladder* S. I. († 1920), Das Ev. des hl. Mt. (Fbg. 1915; 2. ed. cur. *H. Dieckmann* 1922); *A. Condamin S. I.*, Le livre d'Isaïe (P. 1905), l. de Jérémie (1920); *P. Dausch*, Die 3 älteren Evangelien

(Bonn 1920); *P. Dhorme* O. Pr., Le livre de Samuel (P. 1910), Le l. de Job. (ib. 1926); *A. Durand S. I.* († 1928), Evangile selon S. Matthieu (Verbum Salutis, P. 1924), Ev. selon S. Jean (1927); *R. Eaton,* Gospel of St. Luke (London 1916); *A. Eberharter,* Buch Jesus Sirach (Bonn 1925); *F. Feldmann,* Buch der Weisheit (ib. 1926); Isaias (ib. 1926-1927); *L. Fonck* S. I., Parabeln des Herrn (Innsbruck 1902, 1909 [3]), Wunder des Herrn (ib. 1903, 1907 [2]); *Girodon,* l'Ev. de S. Luc (P. 1903); *I. Goettsberger,* Buch Daniel (Bonn 1928); *I. Graf,* Hebräerbrief (Fbg. 1918); *F. S. Gutjahr,* Hl. Ev. nach Mt. Mc. Luc. (Graz 1904), Briefe an Thess. u. Gal. (ib. 1904, 1912 [2]), Briefe an Kor. (Graz-Wien 1910, 1917 [2]); *M. Hetzenauer* O. M. Cap. († 1928), Expositio ep. ad Rom. (Oeniponte 1891); Comm. in Gen. (Graz 1910); *P. Heinisch,* Buch der Weisheit (Münster 1912), B. Ezechiel (Bonn 1923); *J. Huby* S. I., Ev. selon s. Marc (Verbum Salutis, P. 1925); *E. Jacquier,* Actes des Apôtres (P. 1925, 1927 [2]); *P. Joüon S. I.,* Le Cantique des Cantiques (P. 1910), Ruth (Rome 1924); *I. M. Lagrange* O. Pr., Le livre des Juges (P. 1903), Ev. selon S. Marc (1911, 1920 [2], 1927 [4]), Ep. aux Romains (P. 1916, 1922 [2], 1927 [3]), aux Galates (1918, 1927 [2]), Ev. selon S. Luc (1921, 1927 [3]), Ev. S. Matthieu (1923, 1927 [3]), Ev. selon S. Jean (1925, 1927 [3]); *S. Landersdorfer* O. S. B., Buch der Könige (Bonn 1927); *I. Lippl,* Sophonias (Fbg 1910); *M. Meinertz,* Jakobusbrief (Berlin 1912), Gefangenschaftsbriefe (Bonn 1917, 1923 [3]), Pastoralbriefe (1913, 1921 [2]); *A. Miller* O. S. B. Das Hohelied (Bonn 1927); *R. Munz* O. S. B. († 1914), D. Allegorie des Hohen Liedes (Fbg. 1912); *L. Murillo* S. I., S. Juan (Barcelona 1908), El Genesis (Roma 1914); *I. Niglutsch,* Psalmi (Tridenti 1910 [4]), epp. ad. Cor. et Gal. (1892, 1907 [2]), ad Rom. (1909 [2]), Ev. S. Mt. (1912 [3]); *N. Peters,* Jesus Sirach (Münster 1913), Weisheitsbücher des A. T. (ib. 1914); Das Buch Iob (ib. 1928); *A. Piffard* S. I., 1-2 Esdr. Tob. Iudith (Lille 1901), L'Apocalypse (1904); *E. Podechard,* L'Ecclésiaste (P. 1912);

F. X. Pölzl, Matthäus (1900 [2] 3. ed. cur. *Th. Innitzer* Graz 1918), Markus (1893), Lukas (1912 [2] 3. ed. cur. *Innitzer* 1922), Johannes (1914 [3] 1928 [4]), Leidens-u. Verklärungsgeschichte (1913 [2]); *P. Riessler,* Buch Daniel (Wien 1901); Die kleinen Propheten (Rottenburg 1911); *I. Rohr,* Hebräerbrief, Offenbarung (Bonn 1916, 1923 [3]); *F. Rose* O. Pr., Ev. selon S. Marc (1905), Actes des Apôtres (1905 [2]), *M. Sales,* O. Pr. La sacra Bibbia commentata, Torino 1911 sqq., *A. Sanda,* Bücher der Könige (Münster 1911-12); *N. Schlögl* O. Cist., Bücher Samuels (Wien 1904); B. der Könige, Chronik (1911), Psalmen 1915), Job (Wien-Leipzig 1916); *P. Schmalzl,* B. Ezechiel (Wien 1901); *L. A. Schneedorfer* O. Cist., Ieremias, Klagelieder, Baruch (Wien 1906), Matthäus (Prag. 1910); *A. Schulz,* Bücher Samuels (Münster 1919-20), Buch Josue (Bonn 1924), Richter u. Ruth (ib. 1926); *I. Sedlácek* († 1925), Psalmi (Pragae 1900-1901), l. Iudicum (1910); *M. Seisenberger,* Esdras, Nehemias, Esther (Wien 1911), Markusevang. (Regensburg 1905), Hebräerbrief (1908), Johannesev. (1910); *I. Sickenberger,* Briefe an Kor. und Röm. (Bonn. 1919, 1923 [3]); *A. Steinmann,* Apostelgeschichte (Bonn 1916, 1921 [2]); Briefe an Thess. u. Gal. (ib. 1918, 1923 [3]); *Fr. Tillmann,* Johannesev. (B. 1914, 1923 [5]), Br. an Philipper (B. 1917, 1923 [3]); *C. Toussaint,* Epîtres de S. Paul (P. 1910 sqq.); *I. Touzard,* Livre d'Amos (P. 1909); *B. Ubach* O. S. B. La Biblia de Montserrat, 1926 sqq. *A. Valensin* S. I., Ev. selon S. Luc (Verbum salutis, P. 1927); *I. Vosté* O. Pr., Comm. in ep. ad Thess. (Romae 1917), in ep. ad Eph. (ib. 1921); *W. Vrede,* Judas- Petrus- Johannesbriefe (Bonn 1916, 1923 [3]); *V. Weber,* Der Galaterbrief aus sich geschichtlich erklärt (Ravensburg 1901); Galaterbrief erkl. (1903); *H. Wiesmann* S. I., Das Buch der Sprüche (Bonn 1923); *V. Zapletal O. Pr., Kohelcth* (Freiburg 1911 [2]), Das Buch der Richter (Münster 1923); *F. Zorell* S. I., Psalterium ex hebraeo latinum (Romae 1928).

INDEX

PAG.

PRAEFATIO 5

I Pars — **De Inspiratione S. Scripturae**

Praecipua opera catholica de inspiratione 7
I. *De exsistentia Inspirationis* 11
Testimonia S. Scripturae 11
Testimonia Traditionis 15
II. *De natura Inspirationis* 20
Modus procedendi 20
Falsae opiniones 22
Vera notio inspirationis 25
III. *De extensione inspirationis* 33
Falsae opiniones 33
Inspiratio se extendit ad omnia et singula . . . 35
Inspiratio verbalis 39
IV. *De effectu Inspirationis* 50
Falsae opiniones 51
Absoluta inerrantia S. Scripturae 53
V. *De quaestione biblica* 57
Principia generalia 58
S. Scriptura et scientiae naturales 59
S. Scriptura et historia 67
Appendiculus de doctrina Protestantium et Modernistarum . 98

II Pars — **Hermeneutica Biblica.**

Prolegomena 102
1. De notione et divisione Hermeneuticae 102
2. De utilitate et necessitate Hermeneuticae biblicae . . 103
3. De istoria Hermeneuticae biblicae 105
I. NOEMATICA 108
De sensibus Sacrae Scripturae 108
1. De sensu litterali 110

PAG.

3. De unitate sensus litteralis 125
4. De sensus spirituali 145
5. De sensus typico 149
6. De extensione sensus typici 156
7. De vi probativa diversorum sensuum 160
8. De sensu accommodato 164
II. Heuristica 168
A) *De legibus hermeneuticae rationalis* 168
I. *De criteriis internis* 169
1. De uso loquendi 169
2. De contextu orationis 177
3. De locis parallelis 187
II *De criteriis externis.* 197
1. De auctore libri 197
2. De occasione 201
3. De scopo et consilio 202
4. De lectoribus aliisque adiunctis 203
B) *Hermeneutica catholica* 209
1. Authentica interpretatio 209
2. Auctoritas Patrum 217
3. Analogia fidei 220
4. De antilogiis 223
III. Prophoristica 235
1. De versionibus S. Scripturae 235
2. De paraphrasi 240
3. De glossis 241
4. De scholiis 242
5. De commentariis 243
Historia Exegeseos 248
De schola Alexandrina 249
De asseclis et adversariis Origenis 257
De schola Antiochena 261
De Patribus Cappadocibus 272
De interpretibus latinis 276
De interpretatione S. Scripturae tempore medii aevi . . 285
De Catenis 285
De interpretibus graecis 287
De interpretibus latinis 289
De exegesi aetate Scholasticorum 291
De interpretibus post concilium Tridentinum 298
De interpretibus saeculi vicesimi 307

220.15
H672
3259
HOEPEL, OSB., HILDEBRAND
AUTHOR
Tractatus de Inspiratione Sacrae
TITLE Scripturae
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
3259